INSTITVTIONES LOGICAE ET METAPHYSICAE

AVCTORE

IO. GEORG. HENR. FEDERO

PHILOSOPH. PROF. IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

GOTTINGAE

apud JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

1777.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]OVA

[illegible]

[illegible]

PRAEFATIO,

in qua de finibus atque constitutione logices et metaphysices, deque rationibus harum institutionum disseritur.

Post quatuor compendii alterius logicae atque metaphysicae editiones, alterum, idque a priori valde diuersum, typis euulgans, video rationes mihi consiliorum reddendas esse, quibus inconstantiae, aut si qua possit esse grauioris culpae suspicio, opprobrium a me auertam. Quas equidem satis validas habeo, ingenueque profitebor.

 Et

quas sim rationes secutus, in primis iam diligenter exponam. Itaque hoc mihi tanquam consiliorum omnium extremum proposui, logicam esse *philosophiam primam* debere; hoc est, variat enim adpellationis huius significatio, eam philosophiae partem, quae philosophiae studium aperiat atque ad reliquas viam paret. Hoc autem recte a me ita propositum esse, non solum communi more potest affirmari, sed etiam re ipsa elucet. Quae enim veri notas, iudiciorumque nostrorum principia, summasque leges explicat; qua demonstrationum, definitionum omniumque methodi praeceptorum notiones traduntur; eam reliquis philosophiae partibus praemittendam esse disciplinam, recte dubitari vix potest. Omnium quidem cognitionis nostrae partium is est

nexus,

nexus, eaque ratio, vt ex vnaquaque lucis aliquid accedere possit vnicuique; atque etiam praeceptorum valde generalium, certum est, vim ab iis perspici penitius, quibus vsu familiares sunt res, ad quas illa spectant. Veruntamen, sicut alterum istud nos non mouebit, vt omnem in disciplinarum partitione ordinem perinde habeamus; ita altero hoc effici non poterit, vt logicae studium sequi potius debere, quam praecedere, reliquas philosophiae institutiones censeamus. Quisquis ad philosophiae studium systematicum omnino satis instructus praeparatusque accedit; eum, necesse est, ex lectione vitaeque ratione quotidiana, iis obseruationibus conceptibusque imbutum esse, qui ad logices praecepta capienda ponderandaque sufficiant.

ficiant. Augendae vero logices notitiae, non per aliquot cursus, quem dicunt, academici annos, sed per omnem vitam, caussae exsistunt.

Quae cum ita sint; non iam ea *metaphysices* constitutio recte se habere potest, qua *omnis psychologia*, vna cum *conceptibus* intellectus humani *generalissimis*, iisque connexis iudiciis, metaphysicis capitibus accenseatur. Logica enim si prima sit philosophia; cum de intellectus humani indole, viribus diuersisque statibus praecipiat necesse est; tum etiam conceptuum istorum generalium, quibus omnia aut communissima certe iudicia nostra tandem consistunt, vim atque originem scrutari diligenter atque explicare debet. Atque ad posteriorem quidem hanc

 quod

quod attinet partem, exemplo praeiuerunt veteres, *categorias* in logicis explicantes; coniunxitque eam cum reliquis logicae partibus, nouaque ratione et felicissimo successu in immortali opere tractauit LOCKIVS. Et vero ipse WOLFIVS noster, qui exemplo a nobis discedit, cuius rei caussas postea scrutabimur, principiis nostris adsentitur. Cuius viri cum summa adhuc apud aliquos, nec vulgaris apud nos, auctoritas sit; multoque nobis suauius sit, quod ad laudem virorum de litteris bene meritorum pertinere nobis videatur, quam quod vituperandum censeamus, commemorare: quaedam eius adprime huc spectantia decreta placet transferre.

Is itaque in *prolegomenorum logices* cap. III. his ipsis verbis constituit:

tuit:

tuit: *Si philosophiae cum fructu operam nauare decreueris, logica primo omnium loco tractanda est*, §. 88; *Quodsi in logica omnia demonstranda, petenda sunt principia ex Ontologia atque Psychologia*, §. 89. *Quodsi in Logica omnia rigorose demonstranda, allatis rationibus genuinis, Logica Ontologiae atque Psychologiae postponenda*, §. 90. Atqui nos hoc quidem nolumus, omnem ontologiam, et quidquid ad psychologiam vel recte refertur, vel more relatum fuit, logicae praemitti; quo ipso diuersam patet nostram esse methodum ab ea, quam WOLFII quidam adseclae inierunt, decretis hisce magis, quam exemplo eius, obtemperantes. Ipsum tamen hoc, quod ad mediam, inter extremas hasce duas, viam WOLFIVS non satis respexit, in caussa fuit, cur eam

prae-

praeferret, qua ad logicam acceditur, ontologiae et pſychologiae capitibus, quibus logicam non facile poſſe carere perſpexit, ad metaphyſicam dilatis. Quod profecto non ita facturum fuiſſe Wolfium, perſuaſum nobis habemus: niſi vulgari de metaphyſices finibus atque conſtitutione conceptui nimium conceſſiſſet. Age igitur, videamus, quibusnam legibus conſiliisque, non temere a nobis ſumendis, ſed ex ſummis philoſophiae rationibus methodique praeceptis elucentibus, metaphyſicorum conſtitutio definiri poſſit debeatque? Tum quidem plane adparebit, neutiquam inimica manu atque iniuria huic diſciplinae ablatum eſſe, quod logicae vindicamus.

Et primo quidem ſi ad ARISTOTELIS mentem, qui de metaphy-

ficorum scientia condenda rationes primus iniit, illam definire velimus; varia quidem ab initio fortuna disceptari, tandem vero ad exitum nostrae sententiae accomodatum res deduci poterit. In magna nimirum rerum varietate, quas in libris metaphysicis tractat, hoc tamen maxime propositum sibi habuisse ARISTOTELEM, vt *res, quae vere sunt*, constantes, immutabiles, reliquarum rerum primas caussas et initia indagaret. Quod, quam confecit, librorum omnium epitoma, iis, qui non ipsa eorum lectione iudicium sibi formarunt, ita aperte demonstrauit in *Prolegomenis Metaphysicis*, HOLLMANNVS noster, vir doctissimus; vt eo labore supersedere iam facile possimus. Inquirit quidem etiam ARISTOTELES, cum in prima co-

gni-

gnitionis nostrae principia, tum in generales etiam conceptus illos de *caussis, uno, quanto, bono* etc. quos ad logicam referimus. Verum tamen non princeps scientiae, cuius finibus constituendis occupatur, obiectum his contineri; sed vel ad partem praeparatoriam ea tantum pertinere, vel in progressu disputationis obuia fuisse facta, vel etiam omnino ad vnum cum reliquis corpus constituendum ab auctore non fuisse destinatam hanc metaphysicorum partem, sed a compilatoribus male huc fuisse tractam; acutioribus iam ipsis ARISTOTELIS commentatoribus quibusdam, FONSECAE in primis ac SVAREZIO visum est; quos, ab eorum opinione haud alienus, excitat HOLLMANNVS. (cf. *Proleg. philosoph. primae* §. IX. XIII. et seqq. XXI. et seq.)

Pri-

Primam quidem etiam *philosophiam* scientiam hancce suam dixit; at neque in hoc adeo contrarium nobis Stagiritam esse putamus. Nam patet, rationem eum habuisse cum dignitatis, tum eius ordinis, qui a simplicissimis ad composita, a caussis ad effecta procedit, quem *syntheticum* vocant. Quo sensu metaphysicam primam dici posse philosophiae partem, haud repugnamus; primam vero institutionis philosophicae partem constituendam esse, negamus.

Vtut vero ab eorum partibus, qui principiorum *cognitionis nostrae*, non, quod nos putamus, *verum* extra nos positarum, explicatione *Ontologiam* occupari volunt, stare ARISTOTELES videri possit; minime tamen eius se auctoritate tueri possunt,

qui

qui *psychologiam* etiam ad Metaphysicam censent referendam esse.

Verum plane ab ARISTOTELIS auctoritate in hac caussa pendere neque nos volumus. Quod eo minus potest recte improbari; quo magis omnino de constituenda potius disciplina hac disputasse, quam constituisse eam ARISTOTELES videri potest; controuersiis etiam sua aetate celebratissimis ad auia multa deductus, in quibus sequi eum, nostra non aeque interest; vt de fatis scriptorum eius taceamus, quae certe ordinis, quo disposita sunt, auctoritatem dubiam valde reddunt.

Quod si itaque pro rerum ipsarum indole, summisque disciplinarum diuisionis legibus, fines metaphy-

physices constituendi sint; nullum aptius firmiusque diuisionis fundamentum eligi posse, contendimus, quam illud est, ex quo dudum vsu recepta, atque ad diuersissimos etiam conceptus conciliandos omnium maxime idonea definitio nata est, qua *rerum incorporearum scientia* metaphysica constituitur; quam notissimam legitimamque eius notionem, cum aliis multis, defendit HENR. MORVS, vir nimis quidem etiam metaphysicus, id est, ad fidem caussis incorporeis faciendam pronus; de scholasticorum metaphysica disserte hoc monens, magnam, quae ibi traduntur, partem aliena esse a scientia metaphysica, quippe quae ad logicam potius pertinere viris sapientissimis visa sint. (vid. HOLLMANN. *Proleg.* §. XLI. not. *b.*)

At-

Atque ex hoc metaphyſices conceptu facile deduci poſſunt quatuor a recentioribus nobisque ipſis adoptatae eius partes; *Ontologia* nimirum, ceu Metaphyſica γνησιως Ariſtotelica, *Pneumatologia*, *Cosmologia* et *Theologia* naturalis. Quod cum vel ex ipſis inſtitutionibus noſtris, aut tabula earum ſynoptica, ſi quis dubitet, facile intelligi poſſit; nihil hic eius rei cauſſa addi opus erit.

Verum cur Pſychologiam a Metaphyſica ſeparandam adeo iudicemus; id porro dicendum eſt. Et quidem ſi quis, latiori vocis ſignificatu, Metaphyſices nomine Pſychologiam etiam comprehendi iubeat; nullus repugnabo, fateorque eius ſignificationis vſum obtinere. Sed vulgaris nominum vſus, in con-

ſtituendis diſciplinarum finibus, aliis rationibus facile cedit. Omnis Medicorum ſcientia phyſices nomine etiam ſaepe venit et venire poteſt; neque tamen phyſices generalis limitibus concludendam eam eſſe quispiam cenſebit. Scilicet omnis ea cognitio naturalis, quae ad *hominem* proxime ſpectat, inſignem aliquam et primariam philoſophiae partem conſtituit, *Anthropologiae* nomine dudum inſignitam. Cuius vna pars, cui cum animis res eſt, neque dignitate neque ambitu alteri, quae circa corpus humanum verſatur, inferior exiſtimari poterit. Eodem itaque iure, quo Medicorum ſcientia, Pſychologia etiam, praeter *logicam*, *aeſtheticam*, *philoſophiam moralem*, ac *iurisſcientiam naturalem*, tanquam inde conſequentes

tes magisque definitas partes *politiae* ac *paedagogiae* prudentiam finibus suis comprehendens, praecipua aliqua philosophiae pars censeri potest. Recteque sic censeri, aliis adhuc rationibus patebit. Omnem quidem psychologiam vna cum reliquis metaphysicae partibus vnius quasi disciplinae finibus concludi; ab omnis proportionis legibus plane abhorreret. Quod si autem *theoriam* modo, s. quid natura fiat, de mente humana enarrari in metaphysicis aliquis iubeat, *praxin* autem, s. quid faciendum sit, in logica reliquisque psychologiae partibus tradi; illi quidem eo argumento, quo supra in logices notione explicanda vsi sumus, quodque ad reliquas psychologiae partes aeque quadrat, repugnabimus; hac nimirum rerum diuisione

consequens hoc esse, vt aut regulae a principiis suis diuulsae minus solidae tradantur, aut bis etiam eaedem res proponantur, in metaphysica nimirum, et in practicis etiam psychologiae partibus; quod vtrumque multis accidisse, negari nequit, probari vero neutiquam potest.

Verum enim vero psychologiae, quae possunt dici, capita theoretica non solum a logicis, aestheticis ac moralibus minus commode diuelluntur; sed etiam Ontologiae reliquisque metaphysices capitibus apta iungi ratione non possunt. *Psychologia* enim, si recte instituatur, plane vti philosophia de corporibus, *experientiam sequi ducem debet.* Quam vero metaphysica legem non admittit, ex generalissimis conceptibus potius princi-

pia

pia colligens, interdum etiam leuissimas analogiae vmbras sequens, atque omnino vltra experientiae limites, siue ratiocinando siue diuinando, contendens. Valde itaque diuersa est Metaphysices ac genuinae psychologiae ratio. Ipsum vero illum vtramque consociandi morem, haud temere coniicimus, in caussa fuisse, cur multi vel rectam in psychologicis methodum ipsi non inirent, vel psychologiam cum Ontologia aut Pneumatologia Metaphysicorum eodem plane loco atque numero habentes, ad eas disciplinas haud cunctanter referrent, quarum nulla certitudo est, neque vllus etiam in vita vsus. Itaque Psychologiae tantum ea capita, quae ad omne animarum mentiumque genus non minus, quam ad nostros spectent animos, quaeque de-

 mon-

monſtratione, quam dicunt, a priori, potius quam ipſa experientia nituntur, quibus denique reliqua pſychologia, quae maxime facit ad humanitatem, facile carere poteſt, ad Metaphyſicam pertinere; libere curateque rem diiudicanti vnicuique certum fore, confidimus.

Hisque ita conſtitutis, noui, quem in vtriusque diſciplinae capitibus diſponendis ſecuti ſumus, ordinis, a priori admodum diuerſi, rationes exponendae forent. Quas tamen ex ſynoptica, quae praefationem hanc ſequitur, deſcriptione ita haud difficili opera intelligi poſſe credimus; vt, multa iam praefati, his lectorem morari nolimus.

In ſingulis autem ſegmentis proponendis, eius breuitatis, quae huic generi librorum conuenit, fuimus

ſtudio-

ſtudioſiores; quo hoc obtinuimus, vt, creſcente licet partium numero, integrum tamen opuſculum minoris nunc molis exſiſteret. Ceterum in vnaquaque doctrina eam legem, quam ab initio, cum primum ad philoſophiam docendam accederemus, nobis ſanximus, vt principiorum cognitionis noſtrae probe conſcii, iis, qui inde patefiunt, limitibus nos contineremus, neque certitudinis, quae ſe tueri nequeat, ſpeciem prae nobis feramus, ante oculos nobis conſtanter verſatam fuiſſe; ſperamus, a lectoribus noſtris iri iudicatum. Quam quidem adſertionum moderationem permultis haud probari, non neſcimus. Sunt enim, qui, quam verecundiam nos ac ſapientiam ducimus, tarditatem ingenii ac ignauiam putent, ad omnes

nodos, ſi non ſoluendos, certe diſrumpendos, aut praetereundos paratiſſimi. Sunt alii, qui quidquid ſcepticismo ſimile videtur, ſalutarium doctrinarum auctoritati noxium peſtiferumque putent. Sunt denique, qui, dum volunt erudiri, non tam ratione recte vtendi methodum, quam quid tenendum ſit, paucis edoceri cupiant; quibus nimis laborioſa videtur dubitatio, iudiciique in rebus ſingulis ad rationum momenta inſtituta moderatio. Verum cum omnis vana, ſeu ingenii, ſeu doctrinae, ſpecies a philoſophia abeſſe debet; tum immodicum iſtud omnia certo conſtituendi atque pro euictis venditandi ſtudium, dici non poteſt, quam philoſophiae non ſolum, ac diſciplinis reliquis, ſed omnino vitae ac humanitati fuerit

per-

perniciosum. Ex hac enim arrogantia vanaque persuasione ista frequentissima in opinionum dissidio immodestiae, pertinaciae, odiique aduersantium, ne dicam exsecrationis, exempla; pro certis quippe pugnantibus vtrisque, nullaque oppositi, si verum forsitan hoc sit, formidine impetum moderante. Ex eodem hoc fonte contemtus saluberrimorum, et si quid aliud, adsensu nostro dignissimorum decretorum atque monitorum, quae tamen ad summam certitudinem planeque euidentem rationem adduci non possunt; quo sibi ab errore opinionum atque superstitionum fraude cauere multi nunc videntur, persuasi scilicet, omnia, quae pro veris sint accipienda ab homine non vulgari, philosopho, ita aperte demonstranda esse, vt con-

trarium esse nulla ratione posse, in aprico sit.

Denique vero etiam ad hanc imprudenter a veritatis defensoribus nonnunquam affectatam perfectae demonstrationis euictaeque certitudinis gloriam, eorum, qui euertere omnino, sine quibus nulla, neque publica, nec priuata religio, impie animum induxerunt, confidentiam, tanquam ad caussam suam, si non vnicam, certe aliquam referri posse, experientia satis superque docuit; quippe qui dogma ipsum recte reiicere sibi videntur, quando eorum, quae firmissima omnemque rem expedientia iudicata fuere, argumentorum insufficientiam perspexere; quae tamen saepe argumenta, vtcunque illis, qui docta specie delectantur, grata ac probata, nihil aut mini-

minimum conferunt ad naturalem omniumque firmissimam persuasionem. Haec tamen omnia, non vt litem cuipiam moueamus, sed quo nostrorum consiliorum ratio manifesta sit, proposita a nobis fuere. Quae reliqua sunt, paucis expediemus. Indicauimus in his etiam institutionibus, sub vnaquaque, vbi opus visum est, particula, loca auctorum, vnde repeti possint, quae ad intelligentiam vberioremque eorum, quae tradimus, expositionem faciant; non quod doctorum hominum sententiae per se iam argumento veritatis esse possint; sed propterea quod ad verum eruendum iustisque limitibus definiendum nihil magis vtile ac necessarium esse nobis videatur, quam eorum, quae de re aliqua a diuersis sunt notata hominibus, accurata comparatio.

His-

SYNOPSIS

eorum, quae in his Logices atque Metaphysices institutionibus traduntur.

I. In LOGICA, quae est doctrina de intellectu humano eiusque legitmo vsu.

PRAEMISSIS, tanquam in philosophicarum disciplinarum *prima*, ad reliquas viam parante, obseruationibus quibusdam generalibus, de philosophiae notione, originibus, partibus, vsu atque adminiculis, itemque de logices notione, vsu et scriptoribus, §. 1-6; deinde de anima, eius exsistentia, cum corpore harmonia, eorum, quae in ipsa accidunt, principiis, et psychologiae auctoribus, §. 7-10.

 IPSIVS

IPSIVS LOGICES A) PARS PRIMA explicat intellectus humani indolem, et quidem

א Varias ad cognoſcendum *facultates*, ſeu cognitionis noſtrae cauſſas. Agitur itaque de *ſenſu*, *imaginatione* atque *ratione*, §. 11-13. deinde *memoria*, *attentione* et *praeſcientia*, iam ad ſenſum, iam ad rationem ſpectantibus §. 14. Quarum facultatum diligentior conſideratio ducit ad diſquiſitionem de *organis animae internis* §. 15. deque *ingeniorum diuerſitate* eiusque cauſſis §. 16. 17.

ב Explicantur variae intellectus *operationes*, ſeu principiorum iſtorum effecta, legesque, quas ſequuntur. Agitur

1) De *ideis* ſ. *conceptibus*, habito reſpectu ad differentias generaliſſimas; a) *obiectiuam*, §. 18. diſputatur de origine cauſſisque conceptuum generalium §. 19. b) *formalem* §. 20, huiusque diuerſitatis cauſſas §. 21-23.

2) De *coniunctione* atque *consecutione idearum*; de legibus naturalibus vtramque determinantibus §. 24-26. de consectariis quibusdam eius rei §. 27.

3) De *cogitationum signis*, *lingua* et *scriptura*; et quidem caussis naturalibus §. 28, requisitis primariis §. 29. defectibus atque emendatione §. 30.

4) De *iudiciorum generibus communissimis*, *indeque nascentibus conceptibus*. Notatis iudiciorum communibus elementis ac caussis §. 31, quae iudicia ex sensu praesenti omnino nasci videri queant, disquiritur §. 32, quae vera, quae falsa, §. 33, quae vniuersalia etc. §. 34. Tum explicantur origines ac fundamenta iudiciorum ac conceptuum nostrorum de *possibili*, *necessario*, *caussis*, *exsistentia*, de *essentiali* ac *naturali*, de *signis*, *vnitate*, de *eo quod idem* aut *diuersum*, de *rerum generibus*, de *bono* et *perfecto*, *ordine*, de *quantitate*, de *infinito* §. 35-47. Subiunguntur denique de iudiciorum oppositione, expositione atque conuersione quaedam §. 48. 49.

5)

5) De *definitionibus* ac *diuiſionibus*. §. 50. 51.

6) De *potioribus ratiocinandi generibus* eorumque principiis ac legibus §. 52-58.

ג Conſiderantur *diuerſorum intellectus humani ſtatuum phaenomena*; nimirum ſomni §. 59. inſaniae §. 60. enthuſiasmi §. 61. conſcientiae defectus §. 62.

B. PARTE SECVNDA LOGICES, quae legitimum intellectus vſum docet.

א. Conſtituuntur certae ac diſtinctae notiones de *veritatis principiis* ac *characteribus*. Notantur adſenſus leges neceſſariae §. 63. indeque naſcentes varii de veritate conceptus §. 64-66. Tum de veritate plane minusue euidente, immediate, aut mediante alia patente, de demonſtratione, de certitudinis; deque probabilitatis principiis legibusque generaliſſimis agitur §. 67-71. Denique etiam ſcepticismi rationes generaliſſimae proferuntur §. 72.

ב Explicantur generatim *errorum cauſſae atque remedia* §. 73-78.

ז Traduntur *recti sensuum vsus* artisque experiundi regulae; definita simul iusta sensuum auctoritate §. 79-84.

ח. Deductis antea confirmatisque necessariis caussarum notitiae principiis, notatisque erroribus in hoc genere vulgo incidentibus, *quomodo indagari debeant caussae viresque rerum*, docetur §. 85-92.

ח. Sequuntur *meditationis* leges §. 93-96.

ו. Leges cognoscendae veritatis *ope testimoniorum*. §. 97-99.

י. De *libris legendis*, interpretandis, diiudicandis, praecepta §. 100-103.

ח *Disputandi docendique* methodi praecepta §. 104-105.

ט Subiunguntur praecepta adhuc quaedam de *cultura* et *scrutinio ingeniorum*. §. 106. 107; addita *historiae logices* delineatione.

II. METAPHYSICA, quae est scientia eorum, quae in sensus neutiquam incurrunt, seu, vti vulgo loquuntur, de mundo intellectuali §. 1-3. seiunctis specialibus de *mente humana* doctrinis

ctrinis, cum *logicis* tum *moralibus*, complectitur

A) ONTOLOGIAM f. principia de *substantiis*, h. e. entibus, quae per se ac constanter vereque sunt, soloque intellectu concipiuntur, generalia. Vbi itaque

א definita SVBSTANTIAE NOTIONE §. 4. primo disquiritur, vtrum *formae generales* substantiarum loco habendae sint, an res singulares §. 5. dein vtrum *corpora* sint substantiae, quidque de elementis eorum, ac substantiis simplicibus in vniuersum, statui possit §. 6-10.

ב Disputatur de SVBSTANTIA INFINITA ac NECESSARIA, qua ratione concipi a nobis possit §. 11. 12. vtrum exsistat §. 13-19. vna tantum §. 20, eaque sola veri nominis substantia sit §. 37.

ג De SPATIO, TEMPORE et MOTV, §. 22-21.

B) PNEVMATOLOGIAM, cuius

א SECTIONE PRIMA agitur de natura ſenſu aut cogitatione percipiente *in genere* §. 25-30.

ב SECTIONE SECVNDA de *mente perfectiſſima* §. 31-42.

ג TERTIA de *animabus brutorum* §. 43-46.

C) COSMOLOGIAM, cuius

א SECTIONE PRIMA differitur de *nexu omnium rerum* viſibilium atque inuiſibilium, quo mundum vnum conſtituant. Adducuntur, quibus hic nexus oſtenditur, argumenta primum ab experientia petita §. 57, deinde ea, quae ex principiis generalioribus aliqui deducunt §. 48. His initiis facile oritur diſputatio de *fato*, *caſu* atque *animorum libertate* §. 49-53. porro altera de *euentibus naturalibus miraculisque* §. 54, tertia denique de *harmoniae corporum* atque *animorum* vera indole ac cauſſis §. 55-57.

ב

ℶ ALTERA COSMOLOGIAE PARTE recenſentur *leges naturae*, quae in vtroque ſummo rerum genere obuiae videntur eſſe, et ad omnem omnino mundum pertinere; *lex continui* §. 59. *parſimoniae* §. 60. *conſeruationis* §. 61. *varietatis* ſ. *principium indiſcernibilium*, §. 62. *vnitatis* in varietate §. 63. aliarum eius rationis legum veſtigia quaedam §. 64.

ℷ DE MVNDI PERFECTIONE vti conſtet; conſtituuntur primum notiones ac principia eius, quae mundi poſſit debeatque eſſe, perfectionis §. 65-68, quaeritur deinde, num mundus debeat eſſe optimus, qui entis infiniti opus ſit? §. 69. num omnino plures vno mundi poſſibiles? §. 70. tum denique de bonis malisque, quae mundo inſint, experientia duce iudicium formatur. §. 71-72.

D.) THEOLOGIAM NATVRALEM; cuius

א SECTIONE PRIMA de Dei exſiſtentia §. 73-80.

ב ALTERA de attributis diuinis, §. 81-85.

ג TERTIA de modo, quo mundum Deus condidisse eique prouidere censendus sit, §. 86-93.

ד De EXSPECTATIONE atque FINE HOMINIS secundum praecepta theologiae naturalis §. 94-100.

ה De THEOLOGIAE SVPRA HVMANAM RATIONEM POSITAE, definitionibus diuersis hypotheticis, possibilitate ac requisitis disseritur §. 101-103.

Subiuncta est *historiae* primum generalis *metaphysices*, deinde etiam *theologiae naturalis*, succincta delineatio.

IN-

INSTITVTIONES
LOGICAE.

PROLEGOMENA.

I. De philosophia et logica in genere.

§. 1.

Solida virium legumque naturae cognitio experientia et meditatione acquisita *philosophia* dicitur*). Singularum rerum, eorumque, quae auctoritate seu humana s. diuina nituntur, notitia philosophiam ipsa quidem non constituit; ad ea tamen quoque varia ratione adhiberi adplicarique posse, quae philosophia docet, nemo in dubium vocauerit, harum rerum non ignarus. Philosophiae notio.

*) V. Cicero *Tusc.* V. 3. *Offic.* II. 2.

§. 2.

Historia philosophiae.

Naturae haec contemplatio et perſcrutatio inter *Orientis* populos nata eſt a *Graecis* maxime exculta, inde a ſec. ante Ch. N. quinto vſque ad tertium fere poſt Ch. N. ſeculum, *Ionicorum*, *Pythagoreorum*, *Eleaticorum*, *Socraticorum*, *Platonicorum*, *Cyrenaicorum*, *Cynicorum*, *Peripateticorum*, *Stoicorum*, *Epicureorum*, *Pyrrhoniorum*, *Eclecticorum* ſcholis celeberrimis. Quorum dogmata ex *Ariſtotele*, *Diogene Laertio*, *Sexto Empirico* et *Cicerone* potiſſimum haurienda, cum reliquis philoſophiae fatis, omnium vberrime et doctiſſime expoſuit b. BRVCKER in *hiſtoria critica philoſophiae* VI Voll. 4.

§. 3.

Partes.

Philoſophiae. partes commodiſſime ita diſtigui poſſunt, vt vna *homine* occupetur, *Anthropologia*; altera *rebus externis*. Et iis quidem, quae in ſenſus incurrunt, *Phyſica*; iis autem quae intellectu ſolo concipiuntur, adeoque

que *intima rerum essentia, elementis simplicissimis, spirituum* natura, *Deo*, et iis denique naturae *legibus, quae mundo visibili atque invisibili communes* sunt, *Methaphysica* *). *Anthropologiae* autem vna pars, quae circa *corpus humanum* versaretur, *Medica scientia*, ob materiae copiam, et quae fortasse olim visa fuit, dignitatem, a philosophia separata atque superioribus, quas dicunt, disciplinis adnumerata est. Altera, quae in *animi humani* naturam inquirit, *Psychologia* dicitur. Cuius, quae *intellectus* naturam atque regimen explicat, pars *Logicam* constituit; quae *voluntatis* vero naturalem indolem regimenque explorat, *Philosophia Practica* vocatur, quae variis modis in partes vlterius diuidi suas potest. Addi hisce duabus psychologiae partibus, quamuis inter istas fere etiam possit distribui, tertia potest, quam *Aesthetican* dicunt **).

*) *Mathematicae disciplinae* in hac nostra diuisione partim ad physicam referri, partim methaphysicae adiungi possunt.

**) Qui vberiorem aut minutiorem horum expositionem requirat, consulat Verv-

LAMIVM in libro *de augmentis scient.* III. seq. D'ALEMBERT *Melanges* vol. I. p. 235. seq. A. G. BAVMGARTEN *Philosoph. generali.* Hal. 1770. 8.

§. 4.

Vsus et adminicula

Vsus philosophiae, si quis est experientiae exactioris atque intellectus culturae vsus, cum in reliquis disciplinis, tum in ipsa vita, negari non potest. Quamquam, qui philosophorum nomen prae se ferunt, ratione saepe pessime abutuntur, intellectui humano vel nimis arrogantes, vel, quod iustum est, non concedentes; vel apta ad philosophandum ingenii indole destituti, vel prauis etiam nonnunquam animi affectibus abrepti.

Inter *adminicula* autem philosophiae, cum omnis disciplina, quae ad humanitatem pertinet; tum historia in primis merito refertur, et naturalis et politica; et ea maxime, quae ad morum ingeniique culturam spectat, de qua nostra aetate bene meriti sunt *Iselin*, *Home*, *Millar*, *Ferguson*, *Krafft*, *Rousseau*,

ſeau, Goguet et alii quidam viri clariſſimi; et cuius praecipua quaedam atque variis reſpectibus philoſopho vtiliſſima pars eſt ipſius philoſophiae hiſtoria.

§. 5.

Logica pro eo, quem definiuimus, ambitu, in duas commodiſſime partes diſpeſci poſſe videtur; quarum prima intellectus naturam explicet, altera de recto intellectus in dignoſcenda veritate vſu praecipiat. Quae etiam *prima philoſophia* conſtitui, et reliquarum ſcientiarum *organon* recte dici poteſt, ſi propoſitis hiſce finibus reſpondeat. **Logicae partes.**

§. 6.

Inter logicae *ſcriptores* eminent ex Anglis quidem *Locke*, ex Gallis *Mallebranche* et *Crouſaz*, ex Italis *Antonius Genuenſis* et *di Soria*; ex Germanis *Leibnitius*, *Wolfius*, *Rüdiger*, *Cruſius*, *Hollmann*, *Lambert*. Scholaſticam logicam pernoſcere cupientibus *Roetenbeck* et *Reuſchius* vſui eſſe poſſunt. **Scriptores.**

II. De anima generalia quaedam Logicae praemittenda.

§. 7.

Animae existentia.

Animam inesse homini, eamque vnicam *a*); i. e. *vim percipiendi, intelligendi, appetendi auersandique* non omni corpori nostro organico inesse late diffusam, atque adeo ab eo non separabilem, quae *Materialismi crassioris* nomine nota opinio est *b*); certae potius cuidam nostri particulae, siue simplex ea sit, siue composita, animi vim propriam esse; cum sensu ipso interno, tum obseruationibus physiologorum certissimis omnino euincitur *c*).

a) Plures inesse, praeter alios, visum quoque est RÜDIGERO, *de Sensu V. et F. diss. prooem.* §. 8. seq.

b) V. CICERO *Tusc. quaest.* I. 10.

c) Cf. HALLERI *Elem. physiolog.* Lib. X. Sect. VII. §. 14-16. CARTESII *Princip. philosoph.* part. IV. §. 196. In cerebro itaque *animae sedem* esse, vix dubium censeri potest, licet vnicae eam par-

particulae adstringi, necesse non sit. V. Haller. lib. X. S. VII. §. 32. seqq. Sect. VIII. §. 23. Hollmanni *Pneumatolog.* §. LXXIII. seqq. comp. *Traeume eines Geistersehers erlaeutert durch Traeume der Metaphysic* p. 19. seqq.

§. 8.

Animi corporisque statuum diuersorum, omniumque mutationum is fere est consensus, ea *harmonia*, vt ab ea opinione diuelli se aegre patiatur intellectus noster, qua re vera caussam esse alteram harum naturae humanae partium eorum, quae alteri accidunt, statuitur. Vetus ea est opinio *influxus physici* nomine nota. A qua dissidium fecerunt primum *Cartesii* quidam celeberrimi adseclae, *caussarum occasionalium* hypothesi proposita, mox *Leibnitius praestabilitam* esse *harmoniam* adserens; multosque auctoritate sua in partes suas traxerunt.

Animi et corporis harmonia.

Quidquid autem de commercii eius, quod animum inter et corpus intercedit, natura et caussis metaphysicis ratio-

nibus constituendum videatur; omnes partes eius bene cognitas habere, cum Medicae tum Psychologicae scientiae permultum omnino interest *).

*) v. D. Ernest. Plattners *Anthropologie fuer Aerzte und Weltweise*, Leipz. 1772. 8.

§. 9.

Eorum, quae animo insunt, principia.

Quae in anima humana occurrunt, ad *tria principia* redeunt, facultatem nimirum percipiendi, cognoscitiuam etiam dicunt, nec non *intellectum* significatu latissimo; appetendi auersandique facultatem, s. *voluntatem*, strictiori quidem significatu; et *facultatem operatiuam*, quae proprie vis est, quaeque tum in perceptionibus, et quae inde pendent, voluntatis propensionibus mutandis, tum, nisi opinio ea, quae influxum profitetur, falsa est, in mouendis etiam corporis membris sese exserit. Hanc quidem alii voluntatis nomine complectuntur; parte eius intellectui ab aliis vindicata.

§. 10.

§. 10.

Pſychologiae auctores.

Pſychologiam aut vniuerſam, aut eam, quae ad logicam propius attinet, partem omnem, qui ſcriptis complecterentur, ex recentioribus celeberrimi ſunt praeter antea (§. 6.) laudatos, *Baſedow*; *Condillac*, *Bonnet*, *Helvetius*; *Hume*, *Hartley*, *Search*; cum quibus conferri, quamuis diuerſae plerumque opinioni addicti, vel hoc ipſo tamen nomine merentur *Reid* et *Beattie*.

LO-

nibus constituendam videatur; omnes partes eius bene cognitas habere, cum Medicae tum Psychologicae scientiae permultum omnino interest *).

*) v. D. Ernest. Plattners *Anthropologie fuer Aerzte und Weltweise*, Leipz. 1772. 8.

§. 9.

Eorum, quae animo insunt, principia.

Quae in anima humana occurrunt, ad *tria principia* redeunt; facultatem nimirum percipiendi, cognoscitiuam etiam dicunt, nec non *intellectum* significatu latissimo; appetendi auersandique facultatem, s. *voluntatem*, strictiori quidem significatu; et *facultatem operatiuam*, quae proprie vis est, quaeque tum in perceptionibus, et quae inde pendent, voluntatis propensionibus mutandis, tum, nisi opinio ea, quae influxum profitetur, falsa est, in mouendis etiam corporis membris sese exserit. Hanc quidem alii voluntatis nomine complectuntur; parte eius intellectui ab aliis vindicata.

§. 10.

§. 10.

Psychologiae auctores.

Psychologiam aut vniuersam, aut eam, quae ad logicam proprius attinet, partem omnem, qui scriptis complecterentur, ex recentioribus celeberrimi sunt praeter antea (§. 6.) laudatos, *Basedow*; *Condillac*, *Bonnet*, *Helvetius*; *Hume*, *Hartley*, *Search*; cum quibus conferri, quamuis diuersae plerumque opinioni addicti, vel hoc ipso tamen nomine merentur *Reid* et *Beattie*.

LOGICAE PARS PRIMA.

De intellectus humani facultatibus, operationibus diuersisque statibus.

CAPVT I.

De intellectus humani facultatibus.

§. 11.

De Sensu.

Cognitionis nostrae diuersa genera lustraturis in eum primo inquirendum erit cognoscendi modum, reliquorum quippe fontem, quo res, quae *praesentes* iam nos adficiunt, percipimus. *Sensus* is dicitur; et ille quidem, qui circa res extra nos positas versatur, easque corporis partes, quas ab animo ipso facile distinguimus, *externus* dicitur,

tur; organisque etiam *externis* nititur vulgo notis. Eorum autem, quae intime animum adficiunt, cui sui ipsius mutationumque suarum conscientiam debet, quique in iis partibus excitatur, quae sensus externi aciem plane fugiunt, *internus* dicitur sensus.

Atque sicuti pro eo, quem nobis excitant, sensu, rerum externarum qualitates concipimus; ita ex sensu etiam interno rerum, vnde is videtur proficisci, significationes atque conceptus desumimus. Quo *veri*, *pulchri* et *honesti* sensus celebratissima nomina pertinent. In quibus quid natura fiat, quidque vsui et consuetudini debeatur, quid certum sit, quid fallax et inconstans, hic quidem disquirere nondum licet.

Ad sensus autem, maxime externi, naturam magis perspiciendam

1) Varia primum, quae plerumque occurrunt, distinguenda sunt; obiectum nempe ipsum, eius vi vel me-

diate

diate vel immediate in organo sensorio excitata mutatio; dein ea, quae in cerebro contingit, ceu *communi sensorio*; huic coniuncta saepe voluptatis taediiue perceptio, denique obiecti, qualis animi vi iudicioque constituitur, idea.

2) Perceptionem hanc ex organi statu existere aliquando adhuc, nouimus, cum obiectum nos non amplius tangat.

3) Acui perficique sensum posse exercitatione atque animi intentione, experientia constat.

§. 12.

Imaginatio. A sensu hoc iam differt *imaginatio*, s. *phantasia*; quae rerum actu non praesentium aut contingentium animo sistit species s. ideas; accedente haud raro et nonnunquam etiam vehementi voluptatis taediique sensu; modo volentibus nobis, modo inuitis; modo rebus, prouti sensu antea perceptae fuerant, exacte respondentes, modo valde diuersas.

sus. Quam, licet mirabilium fontem praecipuum, a sensu tamen aque corporis statu et indole, at vero etiam ab exercitatione pendere, experientia docet *).

*) V. HALLER *Elem. phys.* lib. XVII. Sect. I. §. IX. MVRATORI *della forza della fantasia umana. edit.* V. 1762.

§. 13.

Non vero rerum solum species, seu praesentium seu absentium, animus percipit; sed rerum etiam naturam intelligere atque perspicere satagit, ac propterea *rationis*, *iudicii* atque *intellectus* facultas nobis tribuitur. Quae si curatius determinare nomina et distinguere volunt; *intellectum* tum dicunt rerum distinctas notiones, et maxime quidem generales, ope *signorum*, concipiendi facultatem; relationes autem s. respectus notandi *iudicium*; denique ex pluribus iudiciis assertisque aliquid colligendi facultatem *rationem*, s. ratiocinandi facultatem adpellant. Omnes etiam istas partes *facultatis cognoscitiuae* Ratio.

supe-

superioris, *intellectus* quoque, nomine comprehendentes; sensum cum imaginatione *inferiorem* nominantes.

Huius vero et ipsius adeo corporis in istas quoque cognitionis partes magnam vim esse, quotidie fere experimur *).

*) Cf. HALLER *Elem. physiol.* lib. IV. pag. 294. 319. lib. XVII. Sect. I.

§. 14.

Memoria, attentio, praescientia.

Hae vero vt queant in mente nostra se exserere facultates, opus praeterea est cum *memoria*, rerum aeque ac verborum a), et *reminiscentia*; tum *attentione*, quae si ad ea, quae animo iam percepta sunt obuersanturque, adhibeatur, *reflexio* dicitur. Hisque ita vtimur, vt modo ab eorum, quae obiecta animo sunt, parte mentem auertamus, quod *abstractionem* vocant; modo quae seiuncta re fuerunt, cogitatione *componamus*. In quibus singulis ars multum valet et exercitatio b); corporis vero etiam conspicuum satis est impe-

perium *c*). Atque hisce principiis omnes, quibus instructi sumus ad cognoscendum, facultates facile continentur. *Praescientiam* enim, qualem inesse homini haud dubiis experimentis constat, imaginatione niti et iudicio, aut sensu etiam interno, haud difficile est ad intelligendum *d*).

a) V. Cicero *acad.* II. 1.

b) V. de arte memoriae mirabilia in Gesneri *Chrest. Plin.* Segm. XIII-XV.

c) V. Halleri *Elem. phys.* lib. X. S. VII. §. 22. lib. XVII. S. I. §. VI. Burchardi *Meditat. de anima hum.* §. 32. p. 10. E. Plattneri *dissert. de vi corporis in memoria* et *Anthropologie*, §. 253 seqq.

d) V. tamen Ridiger *de sensu V. et F. diss. prooem.*

§. 14.

Virium harum, quibus cognitio nostra nititur, non solum is est cum corporis indole et statu, quem hucusque obseruauimus, consensus; sed quaedam etiam earum pars, qua ima- Organa interna, ideae materiales.

 gina-

ginatio maxime et memoria continetur, ad corpus potius, quam ad animum pertinere videtur. Sicuti nempe externarum rerum notitia externorum organorum ope contingit; ita internum quoque aliquod existere organorum subtilissimorum systema, quorum mutationibus rerum actu non praesentium excitentur ideae, quorumque ope, quae in memoriam sibi reuocare animus potest, tum quoque cum eorum conscius sibi non est, seruentur, admodum est probabile. Quamquam horum organorum, *idearumque*, quas dicunt, *materialium*, atque etiam mutationum, quibus excitentur, formam atque rationem adeo determinare et describere non ausimus *).

Ex quibus tamen neque id consequens est, memoriam huius vitae cum corpore, quod interire videmus, necessario interituram, neque illud etiam, de quo dispicere Logicorum magis est, data anima datoque sensu, seu percipiendi facultate qualicumque, omnes, quot-

quotquot in cognitione humana distingui possunt, facultates positas iam esse**).

*) Plura dant BONNET, *Essay analyt. sur les facultés de l'ame* (germ. vers. 1770); *Essay de Psychologie* (germ. 1773) HARTLEY *Observations on man*, (germ. 1772) SEARCH *Light of nature* (germ. 1771) *tom.* I; quique eos magno iam numero, at fortasse non satis moderato impetu, secuti sunt, recentiorum psychologorum alii. Comp. ARISTOTELES *de memoria* cap. I.

**) V. HELVETIUS *de l'Esprit*, disc. I. chap. I. ARISTOTELES *de anima* III. 3.

§. 16.

Quamuis hactenus enumeratae ad cognoscendum vires omnibus hominibus communes sint; magna tamen in iis deprehenditur ingeniorum diuersitas. Nonnulli enim sensuum externorum acie alios superant, nonnulli imaginationis vi praecellunt. Alii memoria valent magis, alii iudicio. Nonnulli similitudines rerum facilius adsequuntur, alii discrimina. Sunt, qui in rerum singularium tractione, sunt qui in

Ingeniorum diuersitas.

in conceptibus generalibus eorumque dispositione felicius versentur. Aliorum in caussis detegendis, in euentibus praeuidendis aliorum mira est sagacitas. Alii idearum numero, quas cogitatione complectantur, excellunt, alii iudicii, quo singula distinguunt, acumine; alii celerius penetrant, alii profundius. Quosdam videas, quae acute sentiunt, apte accommodateque dicere non posse; quosdam aliorum etiam decreta minus perspicue proposita facile adsequi *a*).

Harum perfectionum, licet non omnes, plurimas tamen, quae quidem ad sensum internum et superiores cognitionis humanae partes referuntur, ad *ingenia praeclara* constituenda requiri, res ipsa satis declarat *b*). Quum tamen summam ab omni parte perfectionem natura humana vix ferat; ea etiam ingenia praestantia dici possunt, quae, licet in quibusdam inferiora aliis, in praecipua tamen aliqua parte emineant. Atque huc ingeniorum *poeti-*

corum,

corum; *philosophicorum* aliorumque spectat distinctio.

In omni autem genere ab imaginationis vigore, atque a iudicii acumine, ingenii praestantiam pendere; hisque principiis ad res nouas moliendas; quibus innotescunt, *summi ingenii homines* (*Genies*) aptos esse atque inuitari; ex dictis facile concluditur *a*).

a) Plura vide apud HELVETIVM disc. IV.

b) V. SVLZER *vermischte Schrifften* Abh. IV. ALEX. GERARD *Versuch ueber das Genie*, uebers. von *Chr. Garve*, 1776.

c) V. ZIMMERMANN *von der Erfahrung*, lib. IV. cap. I. FLOEGEL *Geschichte des menschlichen Verstandes*, Sect. IV.

§. 17.

Quandoquidem omnes intellectus facultates, et a corporis pendent statu atque constitutione, at vero etiam exercitatione acui atque perfici mirum in modum possunt; exinde consequens est, Eiusdem caussae.

 di-

diuersitatis ingeniorum caussas, cum in *corporis* constitutione, tum in *educatione* recte quaeri, porro in iis rebus, quibus hae caussae adiuuantur. Vnde animi propensiones, et primae institutionis rationem, primorum tentaminum successus, exempla, rei familiaris et publicae, aetatis denique, qua quis vixit, conditionem, ex vna parte; ex altera autem corporis naturalem, tam quoad solidas quam quoad fluidas partes, indolem, eiusque in victu et omni vitae ratione curam, denique aëris temperiem ad caussas has recte referri, vix alicui dubium esse posse videtur. Mirum itaque est, alterutri harum caussarum generi omnem eam diuersitatem vnice a quibusdam tribui; *physico a)* ab aliis, ab aliis *morali b)*. Quantum autem ab vtroque vbique pendeat, longe difficilior quaestio est. Cui nisi plene satisfactum fuerit, illud etiam certo constitui non potest, vtrum animis ipsis eius diuersitatis caussa quaedam primitus insit *c)*?

a)

a) V. HVARTI *Examen des Esprits pour les ſciences*, ex hiſpan. germ. quoque verſum a *Leſſingio*.

b) V. HELVETIVS diſc. III.

c) V. FLÖGEL et PLATTNER ll. c. c. CROUSAZ *Log.* Sect. I.

CAPVT II.

De operationibus intellectus humani.

SECTIO I.

De idearum diuersis generibus, horumque principiis et caussis.

§. 18.

Differentia idearum obiectiua.

Idearum nostrarum differentia prima *obiectiua* est, seu *materialis*. Eo enim respectu

1) Vel integras quasdam res s. *substantias*, vel harum aliquas determinationes, *qualitates* et *quantitates*, easque vel *absolute* s. in se spectatas, vel ad aliam rem *relatas*, nobis repraesentamus.

2) Porro vel res *sensu externo* perceptas aut percipiendas, quarum proprie ideae sunt, vel res in sensus non incurrentes, *inuisibiles*, *intellectuales*.

3)

3) Sunt alii conceptus nostri, etiam obiectiua ratione, *singulares*, alii *vniuersales*; i. e. rem indiuiduam omni modo determinatam illi comprehendunt, hi ea tantum, quae pluribus communia sunt.

4) Sunt porro idearum nostrarum obiecta vel sensu immediate nobis patefacta, vel similitudine aliarum rerum, *analogica* ratione, comprehensa.

5) Ideae nostrae, intellectuales aeque ac sensitiuae, vel ita *compositae* sunt, vt in plures resoluere eas possimus; vel adeo simplices, vt plura in iis distinguere separatimque concipere nequeamus.

6) Denique conceptus nostri vel *positiui* sunt, vel mere *negatiui*, vel etiam mixti generis.

§. 19.

Vtrum omnia haec idearum genera, et maxime quidem generales istae atque intellectuales, ex sensus interni ex- Eorum origo vtrum ex sensu?

externique singularibus perceptionibus, ab anima ipsa naturali ratione, abstrahendo nimirum et componendo (§. 14.) effectae sint; an vero omnes aut quaedam certe ante sensuum perceptiones homini iam insint, connatae adeo s. ingenitae, sensus occasione tantummodo excitandae; vetus est, nec difficultate carens, at vero etiam maximi momenti quaestio.

Ad priorem quidem partem tuendam hoc vnum iam sufficere plane videtur, quod generales isti mentis conceptus sine vocabulorum, aut similium signorum, ope subsistere in nobis omnino nequeant, quae tamen connata nobis nemo existimauerit. Accedit vero, quod horum conceptuum ad sensuum perceptiones atque ad experientiam, qua quis vsus est, ea manifesta ratio est, quae his eos deberi satis arguat. Denique quid in istis generalissimis etiam intellectus nostri conceptibus certi perspectique insit, diligentissime scrutati, ad sensus interni externique

indi-

indicationes, atque ad experientiam accedire omnia, non possumus diffiteri*).

*) V. ab vna parte LOCKE B. I. et II; HVME *Enquiry concern. hum. Underst.* Sect. II; ab altera LEIBNIT. *Nouv. Ess.* p. 67. et al. CRVSIVS *Logic.* §. 82. seqq. REID *Inquiry into the human mind* chap. V. Sect. VIII.

§. 20.

Quoad modum, quo sibi aliquis rem repraesentat, ideae vel *verae* sunt, si nempe res repraesentata talis est, qualis repraesentatur, vel *falsae*; vel *obscurae* sunt, vel *clarae*; obscurae, quatenus non sufficiunt ad rem agnoscendam et distinguendam, clarae, quatenus sufficiunt; *distinctae* sunt, cum characteres s. partes, quibus rem agnoscas, *confusae*, cum non nisi diuersitate totius rem distinguas; *completae*, si nihil eorum, quibus res constituitur, desit; *adaequatae* s. praecise determinatae, si alieni nil admixtum; *profundae* denique, si ea, quae non in superficie adparent, sed profundioris sunt indaginis, continent. Differentia idearum formalis.

nent. *Formalem* quare dicant hanc differentiam, item *subiectiuam*; facile patet.

§. 21.

Eius caussae. Et huius quidem diuersitatis, perfectionis adeo atque imperfectionis, caussas deprehendere licet, tum in *natura* virium nostrarum, quibus ideas rerum acquirimus, tum in virium earum *vsu*. Natura enim et organorum, quibus rerum species imprimuntur, et imaginationis, vi cuius instaurantur, et intellectus, quo percipimus et perspicimus, variis limitibus circumscripta est, vt non nisi certis sub conditionibus clarae, distinctae et completae rerum notiones animo informari possint. Et plura quidem simul percipere non aeque ac singula possumus; et maxime quidem, si alterum fortius iam animum aut sensus adficeret. Recte etiam semel percepta, nisi repetita, facile delet obliuio. Maximam vero in perficiendis omnium generum perceptionibus atque ideis vim habet attentio, cum desi-

desiderio rei recte agnoscendae ad eam vim animi dirigimus atque intendimus.

§. 22.

Idearum antecedentium in sensuum perceptione vis.

Notatu dignissimum est, facta in organo sensorio impressione, eadem licet attentione adhibita, multo facilius nos agnoscere et distincte percipere, si res sint saepius vsurpatae et notae satis; cum e contrario vel nulla plane in animo excitetur idea, vel minus distincta, si parum nota res sit, quae sensus iam afficiat. Multa ex hac obseruatione et theoriae et praxi existunt vtilia consectaria. Cum qua tamen obseruatione illa altera facile conciliatur, experientia non minus nota, nimis crebro percepta quaedam tandem vix animaduerti.

§. 23.

Idearum plane obscurarum in animo vis.

Cum caussae atque leges, quibus distincta existit excitatae ideae aut mutationis organorum in animo notitia s. *conscientia* (*adperceptionem* dixit LEIBNITIVS) non plane eaedem sint atque eae,

eae, a quibus ideae ipsius excitatio aut organorum mutatio pendet; mira videri vix potest opinio, excitari posse in nobis ideas, iisque varios animi motus atque actiones nostras subsequentes esse, quamuis earum nobis conscii plane non simus. Atqui has dicunt Logici *ideas totaliter* s. plane *obscuras*; earumque vim in animo atque actionibus nostris experientia satis superque confirmat *).

*) Cf. LEIBNIT. *Nouv. Ess.* p. 72 seq. SVLZER *Vermischte Schrift.* p. 261. MENDELSSOHN *Philos. Schrift.* tom. II. p. 60 seq. edit. 2. CONDILLAC *Ess. sur l'Orig.* tom. I. Sect. I. chap. II. §. 13. Sect. II. ch. I. §. 9. seq. *Essai de Psychologie* ch. XXXIX. seq. SEARCH tom. I. ch. X.

SE-

SECTIO II.

De coniunctionis atque consecutionis idearum legibus caussisque naturalibus.

§. 25.

Eam saepe experimur idearum in nobis esse sequelam et coniunctionem, quam anima vult, atque attentione efficit. At vero etiam, quam non constituit voluntas, quin auersatur, idearum nostrarum saepe adest connexio. Quid? quod tunc etiam, quando pro arbitrio nostro ideas euocare atque proponere nobis videmur, non nisi ex pluribus naturali ratione sibi succedentibus aut confluentibus, selectum facimus, atque, quas lubet, attentione distinctas reddimus; vel certe eas ipsas vias atque leges, quibus naturaliter vnitae sunt, dum excitare aliquam ideam volumus, sequi debemus. Est vero haec *naturae lex, vt idea praesens* **Legum associationis idearum fundamentum.**

vel

*vel sensu vel imaginatione excitata, facile suscitet sibique iungat, cum similes, tum olim vna praestantes ideas, *).*

*) Historiam huius maximi momenti dogmatis persecuturus sequentes cum vsu euoluet auctores: Aristot. *de mem.* cap. II. Hobbes *Elem. philos.* part. IV. 25. *Leviath.* cap. 3. Mallebranche liv. II. part. I. chap. V. Locke B. II. ch. 33. Leibnit. *Nouv. Ess.* ibid. Wolf *Psych. Empir.* §. 104 seq. *Metaph. Germ.* voll. II. §. 74. Hollmann. *Log.* §. 14. Hvme *Treatise on hum. nature*, et *Ess. concern. hum. underst.* Sect. III. Hartley *Observ. on man*, part I. Home *Grundsaetze der Critic*, part. I. cap. I. Gerard *Ueber das Genie* part. II. Adde Bonnet *Ess. analyt.* chap. VII seq. Haller *Elem. phys.* lib. XVII. Sect. I.

§. 25.

Leges inde consequentes aliae.

Quae vtrum vnica sit, atque omnium, quibus naturalis consecutio idearum regitur, legum fundamentum, nondum quidem inter omnes conuenit. Plures autem in ea lege alias contineri, atque per eam determinari, facile perspicitur. Nimirum

1)

1) Rerum loco aut tempore coniunctarum ideas mutuo ſeſe facile ſuſcitare;

2) Saepe etiam oppoſitarum.

3) Ab effectis ad cauſſas, et a cauſſis ad effecta, a parte vel ad totum vel ad partes alias; atque vt rem paucis abſoluamus, ab vna ad alteram etiam minime conſimilium rerum ideam propterea saepe fieri progreſſum, quoniam vel in ordine euentuum, qui ſint extra nos, vel in cogitandi ordine, eiusmodi progreſſus aut coniunctio locum antea habuerit.

§. 26.

Ex pluribus autem ideis, quae ſecundum iſtam legem in aliquo homine excitari poſſent, adparet, eam vel eas potiſſimum excitatum iri, quae Magis illuſtratae.

1) Cum idea praeſenti maximam habent ſimilitudinem; aut

2) Arctiſſimam connexionem olim ex coniunctione ortam; aut

3) Adeo sunt vegetae atque vigentes, vt minima etiam vi excitari atque sisti animo possint; aut

4) Animae statui magis conueniunt; aut

5) Scopo meditationis; aut

6) Generalibus, quibus aliquis adsuetus est, cogitandi legibus, atque ideis maxime vigentibus et reliquarum quasi rectricibus.

§. 27.

Consectaria quaedam.

Ex quibus, cum innumera alia, tum ratio in primis etiam atque modus intelligitur,

1) Quo reminiscentia, idearum generalium atque compositarum origo,

2) Et habitus crebra idearum repetitione nati existant;

3) Qui fiat, vt idem obiectum adeo diuersas in diuersis hominibus cogitationes atque animi passiones excitet;

4)

4) Vt ad ſe ipſum tranſitum facere in ſermocinatione, quod inter vitia vrbanitati contraria recte numeratur, adeo naturale homini ſit;

5) Denique vt doctrinae copia atque ad meditationem ac ratiocinationem pronitas impedimento ſit, quominus res quotidianas et vulgo faciles apte accommodateque aliquis exſequatur.

SECTIO III.

De cogitationum ſignis, lingua et ſcriptura.

§. 28.

Naturali idearum adſociationi, inter plurima alia, *ſignorum* etiam, *ſermonis* et *ſcripturae* vſum acceptum referimus; quarum rerum in cogitando veroque inueſtigando maxima vtique vis eſt. Linguae ac ſcripturae principia et cauſſae.

Sunt idearum animaeque perceptionum *signa* quaedam *naturalia*, quibus cum sibi ipsi, tum aliis, ipsas rerum ideas homo suscitare possit. A quibus et adeo differre, atque ex *arbitrio* potius, quam naturali ratione, constituta, et vero etiam ad scopum sermonis legesque quasdam generales adeo accommodata signa ea, quibus communiter vtuntur homines, videri possunt; vt mirum non sit, diuinum hoc potius et supernaturali ratione humano generi comparatum, quam naturae viribus effectum beneficium a nonnullis existimari *a*). Attamen via atque ratio, qua a naturalibus istis signis ad ea, quibus vel in sermone vel in scriptura vtimur, signa progressum facere genus humanum potuerit, rem curatius perscrutantibus non omnino obscura est *b*). Quod vt adpareat, in caussas, quibus signorum eorum vsus determinetur, inquirendum, quidque in istis caussis necessarium sit, quid mutabile, sedulo dispiciendum *c*).

a)

a) V. SÜSSMILCH *Versuch eines Beweises, daß die erste Sprache ihren Ursprung nicht von Menschen etc.*

b) V. HERDER *Vom Ursprung der Sprache*, 1772. *Essai synthetique sur l'Origine et la formation des langues*, Par. 1774. *On the Origin and Progress of language*, Lond. 1773.

c) V. *Traité de la formation mechanique des langues*, Par. 1765. MICHAELIS *de l'influence des opinions sur le langage et du langage sur les opinions*, 1762. Adde de *grammatica vniuersali* scriptores, inter quos eminet HARRIS, cuius *Hermes or a philosophical Inquiry concerning language and universal grammar*, Lond. 1751. 8. prodiit; atque de *institutione mutorum*, quibus accessit nuper LASIVS in *Ausfuehrliche Nachricht von der Unterweisung etc.* In hac etiam inquisitione *artis decifratoriae* initia patefiunt. V. *Elementa artis decifrat.* Regiom. 1770. 4.

§. 29.

Signorum autem eiusmodi *perfectio* pluribus conditionibus absoluitur; quippe requiritur, **Requisita primaria.**

1) Vt ideae, quae excitari iis debeant, pure et complete excitari possint,

2) Quam fieri poteſt, maxime diſtinctae,

3) Minima opera vbique.

§. 30.

Defectus atque emendatio.

In *voce* plurima occurrunt, quae ſcopo ſermonis, et vltimae quidem ex modo allatis legibus maxime accommodata ſunt. Plurima vero etiam obſtant, quominus ab omni parte perfecta omnique idearum humanarum generi ſufficientia ſigna obtineantur. Quare in impoſſibilium potius quam inueniendorum numero habenda eſt, *lingua* iſta *characteriſtica vniuerſalis*, cuius ſpem fecere ſummi quidam philoſophi *). Malis autem, quae ab imperfectionibus vulgaris ſermonis metuenda ſunt, ſi non omnino, inſigniter tamen mederi poſſumus; dummodo in delectu verborum, atque in omni orationis ſtructura, curam adhibeamus, easque leges ſequamur, quas rerum ipſarum, at vero etiam genii, quem dicunt, linguae intelligentia ſuppeditabit **).

*)

*) V. CARTESII *Epist.* part. I. ep. CXI. LEIBNITII *Historia et commendatio linguae charact. vniuers. Oeuvr. philos. publ. p. Raspe*, p. 535. *Nouv. Ess. sur l'Entend.* p. 363 seq. comp. MICHAELIS l. c. Sect. IV. §. 4. Adde KALMARI *Praecepta grammat. atque Specimina linguae charact. vniuers.* Berol. et Lipf. 1772. 4.

**) In omni hac doctrina omnino consulendus est LAMBERT *Neu. Organ.* part. II.

SECTIO IV.

De iudiciorum, quique iis nituntur, conceptuum quorundam generibus vniuersalissimis, eorumque principiis et caussis.

§. 31.

Iudicium vti in animo existat, opus est duabus minimum ideis, vel in eodem obiecto oppido conspicuis, vel aliun- *Iudicii elementa et genesis.*

aliunde concurrentibus; opus est, vti hae ideae et distinguantur et conferantur; opus denique est, vti, qua sint in ratione seu relatione hae ideae, animo manifestum fiat. Quae singula, nisi signa idearum sint in promptu, in animo nostro distincte satis fieri nequeunt. Iudiciorum enunciationes *propositiones* Logicis dici, nemo facile ignorat. Quaenam vero propositionis alicuius pars *subiectum* constituatur, quaeque *praedicatum*, contextus vbique sufficienter declarat.

§. 32.

Iudicia sensu atque ratione fundata.

Quae sit duarum idearum relatio; quae *subiecto* cuidam adsint *praedicata*, vel non adsint, nonnunquam ex claris iam subiecti illius praedicatique notionibus aut ideis patet, nulla intercedente *idea media*. Atque ea iudicia *intuitiua* vocantur, *immediata*, nonnunquam etiam *sensus iudicia*. Experientiae vero curatior scrutatio docet, quamplurima iudicia, quae a sensu praesenti aut claris

ris

ris ideis solummodo proficisci, absque omni mentis ad alias ideas, aut sensationes antea perceptas, discursu, vulgo putant homines, omnino eiusmodi discursu, idearumque plurium collectione atque conclusione niti. Quod circa *sensus internos* facillime accidit; at vero difficilius detegitur. Frequens tamen etiam et vtique plurimos fallens in rebus *sensui externo* obuiis locum habet celerrima ista idearum consecutio; qua fit, vt sensu immediate percepta videantur, quae vi mediarum idearum conclusa sunt. Certe neque in auditu, neque in visu, praesens sensatio sola locum et obiectum, vnde sensatio profecta sit, indicat, eo, quo vulgo enunciamus, modo. Rationis ergo, non sensus, ea sunt iudicia, quibus obiecti *formam, magnitudinem, locum, situm, distantiam* et similia, primo licet intuitu, notamus *).

*) V. Mallebranche liv. I. ch. VI. VII. Locke B. II. ch. IX. Condillac *Essai sur l'Origine*, tom. I. Sect. VI. *Traité des Sensations*, 2 voll. 8. Haller *Elem. phys.* lib. XVI. Sect. IV.

VOLTAIRE *Elemens de la philosophie de Newton*, chap. VI.

§. 33.

Vera et falsa.

Sicuti vera dicitur idea, cum rei repraesentatae respondet; (§.20) ita *iudicia* nostra *vera* dicuntur, si rebus ipsis respondent, i. e. si subiecta ea ipsa habent praedicata, quae in cogitationibus nostris effatisque iis tribuimus, iisque carent, quae inesse negamus. Et quandoquidem idea, quae per se concipitur, ad nullam rem relata, nullo nomine insignita, falsa dici nequit: qui veritati opponitur, *errorem* non nisi in iudiciis locum habere posse, patet.

§. 34.

Vniuersalia, particularia etc.

Iudicia dicuntur *generalia* s. *vniuersalia*, quando aliquid de omnibus singulisque rebus aliquo nomine venientibus enuntiatur; *particularia*, cum de parte earum; *singularia*, vbi subiectum propositionis est plane singulare s. indiuiduum. Et vocatur ea iudiciorum differen-

rentia *quantitas*. Quae sola quantitate differunt iudicia, *subalternantia* dicuntur; oppidoque adparet, a veritate vniuersalis ad particularis veritatem, atque a falsitate huius ad illius falsitatem valere consequentiam; non contrariam. Vbi iudicii quantitas determinata omnino non est, *indefinitum* vocatur. Et iudicia quidem nostra vel generalia, vel certe indefinita, primum quidem ex sermone aliorum et vsu vulgari plurima haurimus; aliqua etiam in notionibus generalibus ita continentur, vt positis iis ea ipsa iudicia generalia non possint non agnosci. Denique ex similitudine plurium eiusdem generis euentuum atque phaenomenorum iudicia generalia eo facilius nascuntur, quo minus vulgo proni sunt homines ad iudicia sua ponderanda, definienda, atque ad impetus animi cohibendos.

§. 35.

Sunt certa iudiciorum genera, quibus, num *possibile*, *impossibile*, *necessarium*, con- Iudicium de possibili et impossibili.

con-

contingens aliquid sit, significatur, quae enuntiata *modalia* scholastici dixerunt; quorum naturam et originem accurate explicare eo magis oportet, quo maioris momenti sunt, quae inde pendent, consectaria. *Possibile* vero dicimus quidquid contradictionem non inuoluit; *impossibile* vero quidquid inuoluit contradictionem: Cum enim quidquid est eiusmodi, vt, quibus determinatur, praedicata vna consistere nequeant, sed mutuo se tollant, ne cogitari quidem possit: in rerum illud, quae vere sint aut esse queant, numero censeri non potest, sed pro *nihilo* potius habendum; quam propositionem ad omnem omnino cognitionem humanam spectantem *principium* vocant *contradictionis* *).

*) V. ARISTOTELES *Metaphys.* III. 3. seq.

§. 36.

De necessario et contingente.

Cuius contrarium impossibile est, *necessarium* dicitur. Atque eiusmodi impossibilitatem, adeoque necessitatem in

in nobismet ipsis saepe experimur, vel animo vel corpore, quaedam conantes. In rebus autem extra nos positis necessaria ea dicimus, quae vel aliter concipere plane non possumus, vel aliter cur cogitemus, nulla probabili ratione adducimur; siquidem nulla experientia contrarium vsquam ostenderit. Cuius oppositum possibile nobis videtur, *contingens* dicimus. In omni vero hoc iudiciorum genere permultum interest, vtrum simpliciter s. *absolute*, an *hypothetice* et *respectiue*, quoque praecise respectu, possibile, impossibile, necessarium, contingens aliquid dici queat.

§. 37.

Quae in ea sunt relatione, vt vi vnius alterum exsistat, in *nexu caussali* esse, illud *caussam*, hoc *effectum* dicimus. Atque obuium esse eiusmodi nexum, vt cogitemus, adducit nos, praeter virium, quas ipsi experimur, sensum, constans obseruatio, quae posito vno alterum quoque poni, non posito illo De caussis.

illo neque alterum poni; vbique docet; adeo, vt quomodo vno non posito alterum tamen locum habere possit, animo concipere plane non possimus *).

*) Comp. Locke B.II. ch. XXI. Hume Ess. conc. hum. Underst. Sect. VII.

§. 38.

De existentia.

Ingens esse inter illud, quod mere possibile est, atque illud, quod *existit*, et actu adest, discrimen, neminem fugit. Eius autem discriminis characterem constituere, praeter eum, qui in sensu ipso continetur, perdifficile, nisi omnino impossibile videtur. Neque tamen ea sola, quae sensui praesentia percipimus, existere credimus; sed alia etiam multa, a quibus nempe, quae experimur, effecta esse, censemus. Existere vero nil posse, nisi quod a contradictione liberum sit, adeoque *ab esse ad posse*, vti loquuntur, valere consequentiam; ex notionibus supra (§. 35.) traditis facile patet.

§. 39.

§. 39.

De essentiali, naturali et accidente.

Quae in re quadam necessario adesse putantur, *essentialia* dicuntur; quae his non omnino, sed magis tamen ac opposita, determinantur, adeoque plerumque adsunt, *naturalia*; quae a caussis externis maxime pendent, *contingentia*, *accidentia* vocantur. Et illa quidem essentialia vel *constitutiua* sunt, vel *consecutiua*; vel *propria* vel *communia*. In hoc vero etiam iudiciorum genere sedulo dispiciendum est, qua de caussa, et quo respectu necessarium aliquid aut contingens esse statuatur, (§. 36.). Ea enim, quae, vt res sit certae conditionis, vt *nomen* aliquod gerere possit, tantum necessaria sunt, essentiam *hypotheticam*, et *nominalem*, quam dicunt, suppeditant, non *absolutam* aut *realem*. Quam difficile vero nobis sit, quid rei in se spectatae necessarium aut saltem naturale sit, certo constituere; ex his ipsis iam conceptibus intelligi potest.

§. 40.

De Signis.

Signum alicuius rei aut *indicium* dicitur, ex quo hanc rem adesse vel adfuisse vel futuram esse, colligi recte potest. Sique is nexus a natura constitutus est, *naturalia;* sin minus, *arbitraria* signa dicuntur. Naturalia ergo signa esse possunt cum eae res, quae sunt in nexu caussali, tum eae, quae tanquam partes aut determinationes alicuius rei, vel essentiales, vel certe naturales, vna adsunt. Ex quo ipso signa alia esse *certa*, alia *dubia*, *propria* alia, alia *communia*, *proxima* quaedam, alia *remota*, facile est ad intelligendum.

§. 41.

De vnitate.

Vnum quid dicatur, generatim quidem absque definitione satis constat. Differunt autem valde de vno conceptus pro respectuum, quibus iudicium hoc respondeat, varietate. Refertur enim vnitas vel ad ideam *subiecti logici*; vel *metaphysici*, i. e. substantiae; vel etiam

etiam ad ideam *personae*, quae vox in significatu *psychologico* subiectum distincta conscientia s. intelligentia praeditum denotat, in *morali* autem subiectum iura quaedam aut officia sustinens. Vnde intelligitur, idem obiectum et vnum et plura variis respectibus saepe numero dici posse.

§. 42.

De eo quod idem est aut diuersum.

Plura inter se collata vel *eadem* nobis videntur, vel *diuersa*. Plerumque autem non absolute, sed certo respectu ita iudicamus; et vbi quantitas eadem sit, *aequalia*, si qualitates autem eaedem sint, *similia* dicimus. Duas res licet simillimas, rerum circumstantium diuersitate saepe distinguere licet. Vnum autem idemque pronuntiamus, vbi nulla plane distinguendi ratio manifesta est. Rem quantumuis mutatam certo respectu vnam eandemque dici posse, facile patet. Quid autem illud sit, quo licet mutato, res tamen eadem maneat; illud ex data essentia aut dato scopo definiri oportet.

§. 43.

De rerum generibus et speciebus.

Res *eiusdem generis* vulgo dicunt, quae, propter generales quosdam, qui iis communes sunt, characteres, communi aliquo nomine veniunt. Maiori autem cum cura certas rerum classes constituturi, characteres *essentiales*, necessarios et immutabiles volunt esse, quibus, si omnes conueniant, *species*, si pars, *genera*, *ordines* et s. p. distinguantur. Vbi si *essentiam* intelligas *nominalem*, i. e. nominis significatione constitutam, res primo quidem minus habet difficultatis; maximam contra, si essentias natura constitutas, legeque naturae necessarias et immutabiles in rebus, quae eiusdem censeantur esse speciei, plane easdem esse, probandum sit *).

*) Comp. Bvffon *Histor. natur.* tom. I. disc. I. tome II. ch. VII. Robinet *de la Nature*, tome IV. ch. VII. Locke B. III, chap. VI. B. IV. ch. XVI. §. 12. Wolf. *Metaphys* §. 177 seq. II. §. 53. Basedow *Philaleth.* II. 35 seq.

§. 44.

§. 44.

Bonum dicitur, quidquid vel iucundum est, vel vtile; ex quo admodum relatiuam atque hypotheticam hanc esse adpellationem, oppido constat. Quod si iam *realitatem*, *perfectionem*, aut magis latine *virtutem* et *pretium* alicuius rei in iis constituamus proprietatibus, quae ad vtilitatem et beatitatem aliquid conferre possint; hoc quoque respectibus determinari iudiciorum genus, in aprico est. *Consensu variorum in vno* partem bonitatis et perfectionis rerum, non omnem generis notionem absolui, exemplis et ipsa, quam fundamenti loco habet vsus loquendi, definitione declarari potest. De bono et perfecto.

§. 45.

Ordinem adesse dicimus, vbi certa quadam et constanti ratione plura sunt disposita; quae res iucunditatem plerumque adfert et vtilitatem. Fieri tamen potest, vt vel hoc ipso, quod alteri coniunctionis modo aliquis adsuetus De ordine.

est, vel etiam alia ex caussa, minus gratus alter ei sit, aut minus vtilis videatur; adeoque ordinem saepe desideret vnus, vbi ita accommodata omnia esse iudicet alter, vt ad ordinem nihil magis accedere possit. Neque tamen in rerum ordine constituendo nihil rerum ipsarum natura determinari, verum ab arbitrio omnia pendere, et consuetudine, recte ex his colligi potest *).

*) Cf. SEARCH tom. I. cap. X. §. 8 seq.

§. 46.

Iudicia implicite comparatiua.

Etiam cum non disertis verbis innuitur, neque a nobismet ipsis animaduertitur, accidit subinde in iudiciis nostris, vt cum alia re eam, de qua iudicium ferimus, *comparemus*. Fit illud maxime, et cum primis etiam obseruationem meretur, in iudiciis de *quantitate*. Vbi, cum valde differat saepe, quod pro mensura sumitur, mirum non est, iudicia hominum et eiusdem etiam post aliquod tempus hominis

nis iudicia de eadem re differre. In *temporis* itaque etiam menſura iudicia varient, neceſſe eſt; ſiquidem a conſcientia eorum, quae ſucceſſerunt, iudicium hoc pendet. Denique ſi in aliquo rerum genere nihil ſatis definitum nobis ſit, ad quod referri reliqua poſſint; iudiciorum inconſtantiam et discrepantiam in eo non eſt, cur miremur.

§. 47.

Infinitum quando aliquid dicimus, vulgo *indefinitum* innuitur; hoc eſt, cuius quantitatem determinare nos non poſſumus. Stricte autem loquendo infinitum eſt, quod limitibus et fine omnino caret; cuius ergo quantitas menſura exaequari plane nequit. Ex quo patet, infiniti notionem poſitiuam et completam in intellectum noſtrum non quadrare. Porro conſequens ex iſta infiniti notione videtur, infinitum quod ſit, nulla alia quantitate ſuperari poſſe. Quod ſi recte ſe habeat; Infinitum quid?

beat; eorum quae vere sunt, seu simultaneorum, seu successiuorum, infinitum hoc significatu numerum dici non posse, varia ratione recte colligi posse videtur *).

*) Comp. Wolfii *Metaphys. germ.* II. §. 38. Kaestneri *Analysis infinit.* init. Hollmanni *Metaph.* §. 216 sqq. Cartesii *Princip. philos.* part. I. §. 26. *Epist.* 67. 69.

§. 48.

Iudiciorum et propositionum variae diuisio.

Enuntiationes *simplices* dicuntur, quae in plures resolui nequeunt; *categoricae*, quae nulla *disiunctione, conditione, exclusione, exceptione* aut simili modo restrictae sunt; *oppositae*, quae vna consistere nequeunt, vel quod vna mere negat, quod ponit altera, vbi *contradictoriae*, vel quod ponit vna ei, quod altera ponit, contrarium, vbi *contrariae* dicuntur. Quarum omnium *expositio* f. interpretatio linguae gnaro in genere quidem parum negotii facesset. Oppositarum vna si vera sit, alteram pro falsa habendam esse, et nomen declarat,

et

et sensus internus quemlibet docet; contradictoriarum vero si vna falsa sit, alteram veram esse dicendam, sensus communis aeque iubet, siquidem aliquid neque esse neque non esse non magis concipi potest, quam idem simul esse et non esse. (§. 35.)

§. 49.

Propositiones etiam *conuerti* ita, non omnes quidem, sed plurimae possunt certa ratione, vt quae ex conuersione existat propositio, vera necessario sit, si vera conuersa fuerit. Quae ratio qualis sit in vniuersaliter negantibus atque adfirmantibus, in particulariter negantibus atque adfirmantibus, ex harum propositionum forma ipsa haud difficulter patet, et in logices compendiis vbique obuiis millies est repetitum *). De conuersione propositionum.

*) Versiculi etiam satis triti:

f Ecl simpliciter conuertitur, *ev A per accid.*

AsO per *contra*, sic fit conuersio tota;

quique ad horum interpretationem faciunt:

adserit A, negat E, verum generaliter ambo;

adserit I, negat O, sed particulariter ambo.

SECTIO V.

De definitionibus et diuisionibus.

§. 50.

Definitiones. Ex iis propositionum generibus, quae praecipuam in logicis curam merentur, eae, quibus definitiones fiunt et diuisiones, maximi sunt momenti. *Definitiones* nimirum dicunt eas vel *nominum* vel naturae *rerum* interpretationes, quibus distincta et adaequata notio subiecti cuiusdam redditur. Quod fit characteribus rei ipsi inhaerentibus, iisque vel immediate patentibus, vel ratio-

rationis discursu conclusis; iam caussarum et ortus explicatione; iam certae cuiusdam et constantis ad aliam rem relationis significatione, obtineri potest. Quocunque id modo fiat; opus est, vti ii tantum adferantur characteres, qui definito nunquam non competunt, quibusque simul sumtis ab alia quacunque re distingui possit, clarisque et maxime perspicuis signis traditi; si *logica definitio* ea, non vulgaris *descriptio* esse debeat.

§. 51.

Diuisio logica.

Enumeratio eorum, quae sub aliqua idea generali continentur, eo ordine, quo ideae isti subsunt, *diuisio logica* vocatur. Quae itaque recte constituta finique generatim proposito accommodata est, cum et omnia enumerantur, quae simul sumta notionem generalem exhauriunt, et non nisi ea, quae, sicuti enuntiantur, opposita sunt; iisque, quae ex diuerso *diuisionis fundamento* oriuntur, *membris diuidentibus*, nec non

subdiuidentibus, rite distinctis. Fundamentum his diuisionibus praebet naturalis idearum consecutio, et nominum communio.

Sectio VI.

De potioribus ratiocinandi generibus eorumque principiis et legibus.

§. 52.

Ratiociniorum fundamentum.

Ea est intellectus nostri natura, vt non in iis subsistamus iudiciis, quae ex sensu aut ideis claris immediate patent, sed alia etiam vel cum his, quae iam patent, connexa, vel iis repugnantia, rebus inesse vel non inesse iudicemus. Idque cum *ratio* praestet, *ratiocinia*, hi cogitandi modi, vocantur; nec non *syllogismi*. Recte vero rei tribui, quod, alterum cum adsit, non potest non adesse; vel necesse adest, quoniam contrarium non est;

esse, recteque denegari, quod non potest locum habere, vel quoniam deest, sine quo non est, vel quoniam adest, quocum non consistit; nemo facile in dubium vocauerit. Atque eo redeunt omnia ratiociniorum genera.

§. 53.

Nonnunquam, vti in praecedentibus annotatum iam est, (§. 34. 48.) vnius propositionis forma, vi generalissimorum de veritate conceptuum, alterius iudicii fundamentum est; quae colligendi ratio *consequentia immediata* vocatur. *Ratiocinia* autem proprie sic dicta ex duabus minimum propositionibus iudicium colligunt et *concludunt*; quae, quoniam praemittuntur plerumque, *praemissae* vocantur. Qui categoricis tribus consistit, *syllogismus* vocatur *ordinarius*. Cuius ex ipsa, quam diximus, forma, atque ex generali ratiociniorum fundamento, facile perspiciuntur hae esse leges; Syllogismus ordinarius.

1) Vti hae ipsae, quae concluduntur, ideae in praemissis adfuerint, *tribusque* adeo *terminis* constet syllogismus;

2) Et alterutra saltem cum tertia idea, *medium* eam *terminum* vocant, necessario vel *perpetuo sit coniuncta;*

3) Denique vt conclusio sequatur *partem debiliorem*; id est, negans sit, si negans, particularis, si particularis alterutra fuerit praemissarum.

§. 54.

Vius figurae et modi.

Praeter generales has nouae existunt in syllogismo ordinario conditiones ex positione medii termini in praemissis; quarum fundamentum in legibus conuersionis propositionum inuenitur. Huius positionis quatuor omnino sunt diuersae species, quas *figuras* vocant; sicuti *modos* syllogismi ordinarii, quae trium propositionum qualitate et quantitate constituuntur, diuersitates dixere. Quorum ex 64 decem

cem tantum legitimos propriis nominibus designant versiculi notissimi:

Barbara, Celarent etc.

§. 55.

Ex propositione *hypothetica* recte colligi tum demum aliquid potest; quando inter *antecedens* et *consequens* ea est connexio, quam prae se fert propositionis forma, hoc est, *consequentia* legitima. Etenim facile tunc perspicitur, et a veritate antecedentis ad veritatem consequentis, et a falsitate consequentis ad falsitatem antecedentis in concludendo recte procedi. Syllogismus hypotheticus.

§. 56.

Ex propositione *disiunctiva*, si ipsa vera fuerit, h. e. si membra divisionis vere opposita sint, et plene enumerata, pluribus modis recte concluditur. Vi enim oppositionis, unius veri- Disiunctiuus.

veritas si sumi possit, alterum, vel reliqua membra recte reiiciuntur. Et si falsam esse alteram eorum, quae disiunctiue proposita sunt, partem constet, alteram veram esse sequitur. Denique quod de singulis, quae complent genus aliquod aut speciem, subiectis *inductione* patuit, de genere aut specie in vniuersum iam enuntiari potest *).

*) Cf. LAMBERT N. Organ. §. 284 seq.

§. 57.

Dilemmata etc.

Ex his facile iam perspicitur ratio earum conclusionum, quae propositione hypothetica, cuius consequens disiunctiua est, nituntur, a falsitate nimirum consequentis ad falsitatem antecedentis procedentes; neque est, cur eas ratiocinationes, quae a numero membrorum, quibus propositio fundamentalis constat, disiunctiuorum *dilemmata*, *trilemmata* et s. p. recte denominantur, *cornutorum* aut

croco-

crocodilinorum adpellatione in suspicionem adducamus horreamusque. Quamquam rei ipsius, circa quam ratiocinatio versatur, indoles hic, vti in aliis ratiocinandi modis, difficultatem creare possit. Verum non in ea ratiociniorum discrimina quae in *materia* s. obiecto contineantur, sed in ea tantum, quae a *forma* pendent, iam est inquirendum.

§. 58.

Plura nonnunquam ratiocinia in ea existunt consecutione, vt alterius conclusio in altero praemissa sit. In qua ratiociniorum catena, atque alias etiam in singulis syllogismis, compendio vti licet; siquidem in syllogismo ordinario ex altera praemissarum et conclusione, et in syllogismo hypothetico saepe ex sola propositione hypothetica, iam qualis instituatur et quo fundamento stet conclusio, adparet. De *sorite* ergo recentiorum, De sorite et fallaciis.

cum

cum veterum ſorite non plane eodem, plura vt moneamus, opus non videtur. *Fallacias* autem, quas dicunt, ſyllogiſticas, delicias olim, at vero etiam terrores Logicorum, parum curabit, qui notiones hactenus traditas teneat, neque verborum magis, quam rerum, habeat rationem.

CA-

CAPVT III.

De diuerſis quibusdam quoad cognoſcendi vires mentis humanae ſtatibus.

§. 59.

Virium, quibus cognitio noſtra conſtituitur, ſi non iuſtum adſit aequilibrium, ſi pars minus valeat, altera nimis; non poſſunt non inſignes inde in conceptibus et iudiciis noſtris exſiſtere mutationes. De ſomno

Accidit id in *ſomno*; qui etiam vbi non profunde adeo mentem mergat, vt omnis cogitatio aut idearum conſcientia pereat, *ſomniis* tamen locum tantum relinquit, id eſt rerum olim perceptarum imaginibus, ideis atque imaginationi; ſenſuum autem indicationes vel plane non admittit, vel debiles adeo atque obſcuras, vt in aliam formam mox tranſeant. Quibus imaginibus

 men-

mentem tum, quasi rebus praesentibus, decipi, mirum non est. *a*) Interueniunt tamen nonnunquam somniis, non solum quae intellectu acquisitae olim fuerant notiones, sed quas iusta norma etiam tum ratio parat; conclusiones et prorsus diductae meditationes. Quid? quod dormientes non solum, quae vigiles, sed magis etiam ardua, et audere et perpetrare homines nonnullos, experientia satis constat. *b*) Cuius rei causa in hoc ipso posita esse videtur; quod arctiori cognitionis circulo mens vnice intenta sit, nulla alia neque cogitatione neque cura distracta. Generatim quidem magna et multiplex hominum in somno est diuersitas. Omnia vero, quae in somno accidunt, visa imaginationis figmenta, aut vniuerse virium humanarum effectus esse, aegre quidem qui concedant, satis *c*) multi et sunt et semper fuerunt. Credulitatem tamen atque mirabilium amorem facilius in ea opinione inuenias, quam sufficientes, quibus sese tueatur, rationes.

a) Er-

a) Error vero iste etiam in experrectis nonnunquam perdurat. v. MALLEBRANCHE lib. II. part. III. cap. ult.

b) Cf. MVRATORI *della fantasia umana* c. 7. ENCYCLOPEDIE art. *Somnambulisme.* HALLER *Elem. phys.* lib. XVII. Sect. III.

c) Singularis est BAXTERI opinio, spirituum industriae aut ludis somnia humanae mentis vnice tribuentis, *Enquiry into the nature of human Soul,* vol. II. sect. I.

§. 60.

Qui vigilantes vanis rerum speciebus sicuti somniantes afficiuntur, *delirare, mente capti, vesani* esse dicuntur. Sunt vero eius morbi tot species et gradus diuersi, vt generali aliqua notione definiri vix queat. Quidam phantasmatum suorum et rerum actu praesentium differentiam non animaduertunt; quidam contigisse imaginantur, quae non contigerunt. Quidam de iis, quae sensibus externis percipiuntur, recte iudicant; at de intus visis male sana est eorum persuasio. Alii vno quodam eiusmodi errore tenentur, alii pluri- De insania

bus. *a)* Atque omnes hos tum demum ſana ratione deſtitutos dicere fas eſt, cum parum naturali iſta repraeſentationum indole decipi ſe patiuntur, neque iis rationibus cedunt, quibus communis ſenſus et naturalis hominum ratio acquieſcit. *b)*

Initia hunc morbum ex anima eiusque meditationibus et propenſionibus nonnunquam ducere, nonnunquam ex corporis adfectionibus; et frequentius fere etiam corporis quam animi cura ſanari, experientia conſtat. *c)*

a) Cf. MVRATORI l. c. cap. VIII. et ſeq. CONDILLAC, *Eſſai ſur l'origine etc.* tome I. Sect. II. ch. IX. SEARCH tom. II. ch. XXX. §. 5. HALLER *Elem. phyſ.* lib. XVII. Sect. I.

b) Quibus ſanum contra vanas ſpecies iudicium tuitus eſt vir oculorum morbo laborans, apud BONNET *Eſſ. analyt.* §. 676.

c) Cf. LOCKE B. II. ch. XI. §. 13. HALLER l. c.

§. 61.

De Enthuſiaſmo

Propius longiusue licet abſit ab hoc inſaniae ſtatu alter, quem *enthuſiaſmi* no-

nomine communiter appellant; non tamen caussarum semper et effectuum genere, sed gradu potius differre videtur. Eum intelligo statum, vbi non in ipsis quidem, quas sumit, rebus, sed in determinandis rerum relationibus, in caussis et effectibus, atque adeo etiam in pretio rerum apud animum constituendo, supra modum communis hominum rationis, mens aberret. Accidit hoc iis potissimum, qui sunt viuidiori ingenio, rerumque naturam et varietatem non satis cognitam habent. In quo enthusiasmi statu, sicuti in morbis quibusdam, quo magis vni rei intentus animus est, quoue maior imaginationis viuiditas spirituumque animalium impetus est, eo penitius acutiusque quaedam perspici, vt sublimia atque inaudita, qualia edoctus nunquam fuit, homo proferre videatur, mirum adeo non est. Vtique, sicuti insano delirare sana qui est mente, ita multo magis enthusiasmo abreptus, qui rem rectius penitusque perspexit, profanis et hebetioribus ingeniis videri potest. *)

 *)Cf.

*) Cf. LEONH. MEISTER *Vorlesung über die Schwermerey*; SVLZER *Theorie* art. *Begeisterung*.

§. 62.

Conscientiae defectus caussae et effectus

In omnibus hisce animi statibus, sicuti alias etiam, (§. 23.) frequenter accidit, vt quorundam, quae agit, quaeue patitur, vel parum, vel omnino sibi conscius homo non sit; vel quod vni rei adeo intentus reliqua non percipiat animus, vel quod organa sensus interni ad perceptionem apta non sint, vel propter aliud communionis animi idearum partiumque corporis impedimentum. Vnde singularia exsistunt phaenomena, legibusque naturae humanae, quae generalissimae videri poterant, contraria. *a*) Adiuuari vero atque perfici posse istam variorum, quibus status noster internus externusque determinatur, conscientiam, dubium non est. *b*)

Ex hoc vero conscientiae defectu eiusque caussis haec quoque nata aliquibus est conclusio, ne tum quidem, cum nulla plane passionis actionisque

con-

conscientia exstet et reminiscentia, ab omni actione et cogitatione animum desistere. De quo, licet summorum philosophorum nominibus insignis, difficilis tamen, neque magni momenti, quaestio nobis esse videtur. *c*)

a) v. HALLER *Elem. physiolog.* lib. XVII. Sect. I. §. XI. MVRATORI *della fantasia umana* cap. IX. MEINERS *Vermischte philosoph. Schriften,* Tom. II. Abh. I.

b) V. I. H. CAMPE *Ueber die Empfindungs- und Erkenntniss - Kraft der menschlichen Seele;* pag. 64. seq.

c) v. CARTESIVS *Epist. part. I. ep. CV.* LOCKE B. II. ch. I. §. 9. seq. LEIBNITZ *Nouv. Essays* ibid.

LOGICAE
PARS ALTERA
De recto intellectus in inquirenda veritate vsu.

CAPVT I.
De veritatis principiis et variis eam cognoscendi modis.

§. 63.

Adsensus leges necessariae.

Recte agere quandoquidem nihil aliud significat, quam legibus naturae conuenienter agere; *recte* is *intellectu vti* dicendus est, qui legibus, quibus natura determinatur, obsequium praestat. Harum legum duo esse principia experientia docet; nimirum

1) Quod vna cogitare, quae sibi contradicunt, seu mutuo se tollunt, plane nequeamus;

2) Quod iudicium ferre, aut iudicio propoſito aſſentiri, absque omni, quae rationem reddat, cauſſa nequeamus.

Principium illud *contradictionis*, hoc *rationis* dici poteſt, ſignificatu ab eo, quo alias haec nomina adhibentur, paullulum diuerſo.

*) Atque recte intellectu vti hominem, quatenus his legibus conuenienter cogitat, eo etiam ſignificatu, quod et ſuae felicitati, et, quae aliis debet, officiis ita minime deſit; qui notiones has perſpectas habet, facile concedet.

§. 64.

Atque in his ipſis legibus fundata eſt cognitionis humanae *veritas*. Huius enim vocabuli ſignificatum ſi perſcrutati, atque ad omnia, quae de veritate praecipiunt disputantque, attenti fuerimus; verum dici deprehendimus — Veritatis notio duplex.

1) Senſu quidem *rigoroſo*, quod aliter cogitari omnino non poteſt, cuius contrarium plane cogitari nequit. *)

2) Sensu autem *remissiori*, at vulgo satis obuio, quod *sufficienti ratione* sumitur; i. e. ea, qua necessario acquiescendum nobis sit, si ad leges finesque naturae nostrae accommodare nosmet velimus. **)

*) Cf. TSCHIRNHAVSEN *Med. mentis* part. II. sect. I. Cum eo autem, quod omnino cogitari non potest, caue, illud confundas, quod vel in sensus non incurrat, vel aliarum rerum satis cognitarum similitudine *comprehendere* aliquis (*Begreifen*) et intelligere non possit. Quamuis enim hoc quoque non temere sumendum sit; verum tamen potest esse, et nonnunquam extra omnem dubitationem positum.

**) Cf. BASEDOW *Philalethie* part. II. §. 62. seq. BEATTIE *Versuch über die Natur und Unveränderlichkeit der Wahrheit* part. I. cap. I.

§. 65.

Definitiones aliae

Atque ad hos de veritate conceptus facile redeunt vsu alias receptae definitiones et dicendi formulae; siquidem verum dicunt,

1) Cuius contrarium inuoluit contradictionem, cum ipsum *omnino con-*

sen-

sentiens, f. ab omni simul sumtorum repugnantia liberum sit.

2) Quod experientiae, tamquam vltimo cognitionis nostrae fundamento (§. 18.) plane consentaneum sit; cuiusque contrarium aut repugnet plane iis quae experientia docuit, aut nulla certe experientia confirmari possit, nullo sensus externi internique testimonio.

§. 66.

Neque aliud quidquam inferunt, quas ex inquisitionis, quae cuique ex variis philosophiae partibus propria est, diuersitate nonnulli constituunt veritatis species, quarum alia moralis sit, alia physica, alia metaphysica, alia logica, (§. 20 et 33.) alia nominalis, alia realis, in abstracto alia, alia in concreto. Omnium vero omnino, quae vera dicenda sint strictiori significatu, consensum esse debere, nullam veritatem alteri re ipsa posse esse contrariam; pariter ex principiis iamiam constitutis elucet. *) Diuisio.

*) V.

*) V. plura ex hisce notionibus consectaria in LAMBERTI v. cl. *N. Organ.* lib. II. cap. IV. et de controuersia circa vltimum assertum olim mota referentem BRUCKERVM *Hist. crit. philos.* tom. V. p. 776. seq.

§. 67.

De certitudine, euidentia etc.

Veritatem ergo quibus characteribus agnoscamus, dictum est. Qui cum ita pateant, vt acquiescere iis non solum commode possit, sed coactus plane et conuictus sit intellectus noster; tum *certos* nos etiam et *conuictos* dicimus et iudicium ipsum certum, veritatem autem *euidentem*. *Dubium* autem vocamus, vbi deesse aliquid animaduertimus eius, quod solum reddere nos certos queat. Neque id tamen semper ita plane dubium est, vt neutrum oppositorum magis sit *probabile*; h. e. tale quod tutius sumi possit, quod eas habeat veri notas, quae interdum, rarius tamen, fallunt. Accidit quidem saepissime, vt qui certos se de aliqua re et conuictos putent, in falsa sint opinione. Quandoquidem autem hoc iis tan-

tantum accidit, qui re obiter conside-rata aut confuse percepta, iudicium fe-runt; quantopere a certitudine et con-uictione eiusmodi *persuasio* differat, et quibus signis internosci queat, haud obscurum est.

Sicuti vero veritatis nomen non in stricto semper significatu adhibetur; ita certum etiam saepe numero illud dicere solemus, cuius oppositum fal-sum esse, plane quidem euidenti ratio-ne euictum non est; quod tamen, nulla oppositi formidine, sequi recte viuendi praecepta iubeant. Quare *moralem* hanc dicunt certitudinem, alteram *geo-metricam* aut *summam*.

§. 68.

Nonnullarum propositionum veri-tatem *immediate* patere, experientia constat. Quod vero supra obseruatum est, ideas medias, quibus iudicia no-stra determinentur, non semper di-stincte a nobis animaduerti; hic etiam maxime nos admonet, ne immediate eui- Veritas quando immediate pateat?

euidentia temere censeamus, quae vel consuetudine familiaria, vel recta etiam, at celerrima et clandestina, ratiocinatione conclusa sunt.

Scilicet immediate tum solum patet veritas, cum, quod in iudicio constituitur, vel sensui praesenti, vel ideae, quae subiecti loco est, aperte inest.

A quibus iudiciis cum principium ducant reliqua cognitionis nostrae genera, *principia* etiam recte dicuntur. *Absolute* autem *prima* non nisi ea dici posse, quae nullo plane iudicio alio nituntur, et ab his differre, quae in partibus cognitionis nostrae constituuntur principia *specialia*, facile perspicitur.

§. 69.

De demonstratione.

Vbi immediate euidens veritas non est, in medium proferri oportet, quibus nexus cum principiis indubitatis ostendatur; quod *probationem* nominant aut *demonstrationem*. Quae vel eius ipsius rei, quae probanda est, expe-

perientia absoluitur, vel generalium principiorum adplicatione theseosque explicatione. Hanc *a priori* dicunt sumi, eam *a posteriori*. Et illa quidem vel *directe* ad thesin procedit, vel manifestata contrariae falsitate, *indirecte*, *apagogice*, eam confirmat. Quocumque modo instituatur probatio, vt recte se habeat, requiritur

1) Vt firmo fundamento innitatur, principiis certis et indubitatis;

2) Vt recte in concludendo vbique procedat.

Quare *petitionem principii*, *circulumque* in demonstrando, et *saltum*, et *elenchi mutationem*, vitia in demonstratione esse, manifestum est.

§. 70.

Quid in omni cognitione nostra certum sit, hic quidem constituere animus non est. At characteres, quibus in diuersis cognitionis humanae partibus veritas certo dignosci queat, generatim Principia certitudinis.

tim enumerare hoc loco conuenit. Itaque

1) In ea cognitione, quae in *conceptibus* mentis vnice occupatur, veritateque, quam dicunt, nominali certum eſt, quidquid ex datis notionibus definitionibusque ſubiecti et praedicati aperta conſequentia ducitur.

2) In ea autem cognitione, quae circa res ipſas earumque naturam verſatur, *abſolute certum* illud eſt, quod vel experientia ipſa ita teſtatur, *vel ita* ex iis, quae certo experimur, conſequens eſt, vt, quae eſt intellectus noſtri natura, contrarium eius loco concipere plane nequeamus; *morali* autem at *vulgari ſenſu* certum, quod ita confirmat experientia, vt eo acquieſcere fas ſit, contrario aſſentiri nefas.

3) Certum aliorum teſtimonio conſtituitur aliquid, ſi eius teſtimonii falſitas vel ſine manifeſta contradictione poni non poteſt, vel aduerſus omnem experientiae humanae fidem verique

ra-

rationem poneretur; et priori quidem, modo geometrico, altero morali significatu certum.

4) Denique qua lege certos nos dicere possimus de cogitatis aliorum ex scriptis aut sermone eruendis; ex dictis facile colligitur.

§. 71.

Quo rarius etiam in grauissimis rebus, et plurimis cognitionis humanae partibus, nobis licet esse certis; eo magis interest ea fundamenta recte perspicere, quibus, quamuis non certa, probabilis tamen opinio redditur. Probabilitatis principia.

Ex iis autem, quae de veritate et intellectus legibus naturalibus supra tradita sunt, consequens est,

1) Vt probabile illud sit, quod licet in praesenti nondum compertum sit, cum eo tamen, quod certa experientia iam cognitum est, alias, *vel* semper *vel* plerumque, fuit coniunctum. Vnde naturalis et experientia vero etiam

maxime comprobata *euentuum ſimilium* exſpectatio, et *partium naturalium* coniectura eſt.

2) Itaque ea etiam probabilis eſt opinio, quae id ſumit, quod pluribus aut omnibus in vniuerſum naturae legibus, certa iam ratione exploratis, magis eſt conſentaneum.

3) Vbi etiam vltra omnes experientiae limites coniectura procedit, et quod nullo adhuc exemplo cognitum eſt, neque ex eo, quod certo nouimus, neceſſario ſequitur, conſtituere audet; illud maxime ferendum eſſe, et ſi quidquam conſtituendum ſit, eligendum, quod *ad veritatem magis accedit*, hoc eſt, his quae quacunque ratione certo conſtant, maxime ſimile eſt, adeoque parte quadam ſui certum; ex iisdem principiis recte colligitur.

4) *Alterum* probabilitatis *principium*, praeter hoc, quod ab *analogia* ducitur, illud eſt, quo probabilis ea coniiciendi ratio declaratur, quae ex pluribus coniectu-

iecturae propositis id eligit, quod *pluribus modis* fieri potest aut potuit. Quae ratio et generalibus verum constituendi legibus (§. 63.) consentanea est, et vsu atque experientia confirmatur.

5) Probabilitas autem alia est in *abstracto*, alia in *concreto;* potest aliquid in genere quidem esse probabile, in casu autem aliquo singulari improbabile.

6) Probabile nil dici posse, quod ne possibile quidem sit, et omnia probilitatis argumenta frustra esse, sicubi de veritate contrarii iam constet, ex dictis facile patet.

7) Patet etiam in probabilitate *gradus* locum habere posse, et qua sint ratione determinandi. Nimirum eo magis in se probabile est iudicium, quo certius, communius, frequentius est illud, ad quod alterum refertur, et quo magis hoc ad illud ipsum accedit, atque idem cum eo est; vel etiam, quo plures adsunt modi, quibus locum ha-

bere possit. Eo magis etiam probabile aliquid fieri, quo minus contrarium sumi possit, facile intelligitur. *)

*) Notitiam auctorum, qui probabilitatis principia exposuere, suppeditat C. H. FROEMMICHEN in tract. *Ueber die Lehre des Wahrscheinlichen*, 1773. 4.

§. 72.

Scepticorum rationes generales et loci communes.

Qui omnia haec, quae de veritate praecipiuntur, inania verba esse aut frustra praecipi putent, siquidem nil sit in cognitione humana aut certum aut omnino probabile; rationes quidem aliquas adferunt valde generales, et ex ipsis his, quae fundamenta constituere conati sumus, petitas. Omni nimirum rationi rationem aeque probabilem opponi posse, nullum esse nobis veri dignoscendi certum criterium, nulla principia perfecte et ab omni parte euidentia; quare et circulo se excipiant omnia, quae demonstratione viderentur constituta, et perpetuus sit opinionum dissensus, et vltimus pertinacissimi studii fructus ignorantiae conscientia.*) Quae ve-

vero vniuerſe adeo nequidquam valere, vel illico adparet, vel tum certe apparebit, cum diuerſa cognitionis humanae genera curatius luſtrati, eorum initia ſcrutati, et qua vbique ratione verſandum ſit, edocti fuerimus. Antea autem quam hoc fieri commode poſſit, agendum nobis eſt de cauſſis errorum.

*) V. SEXTVS EMPIRICVS *Pyrrh. Inſtit.* lib. I. DIOGENES LAËRTIVS lib. IX. et comp. CROVSAZ *Examen du Pyrrhonisme*, eiusue epitome *Le triomphe de la verité*, 2 vol. 8. 1756. germ. verſ. ſub tit. *Prüfung der Secte, die an allem zweifelt.* Plurimi in diſputatione cum ſcepticis cauſſae ſuae nocent, dum ne quod iuſtum quidem eſt, aduerſariis concedere volunt.

CAPVT II.

De caussis errorum remediisque generalissimis.

§. 73.

Erroris caussae generales.

Ea est natura intellectus nostri, vt neque, quod manifeste repugnat, admittere, neque absque omni fundamento pro vero aliquid habere possimus. (§. 63.) Quoties ergo erramus, adsit aliqua ratio, quae veri nos specie quadam fallat, necesse est. Eamque iam in *similitudine* quadam, quae tamen plena et perfecta non est, sitam esse; iam in *iudicio* aliquo, siue sensus siue intellectus auctoritate constituto, *quo tamquam generaliter vero vtimur*, cum aut falsum, aut adeo generale non sit, experientia declarat. Haec vero erroris caussa locum habere non posset, nisi et manca, confusaque, aut omnino imperfecta foret nostra cognitio, *et* im-

imperfectae tamen huic cognitioni nostrae nimis confideremus.

§. 74.

Cognitionem, cui iudicia nostra innituntur, iusto modulo vt non semper metiamur; id vero consequitur Confidentiae et praecipitantiae caussae.

1) Ex ipsa ignorantia et natiua simul imaginationis indole; quae vtcunque percepta plene et accurate perspecta, ac cognitionis nostrae ambitu omnia iam comprehensa, aut iis, quae cognita habemus, similia esse, vt opinemur, nos inducunt.

2) Idque eo magis accidit, quo maiorem de ingenio suo aut experientia sua spem opinionemque aliquis fouet.

3) Ex naturali, et exemplo aliorum etiam magis irritato, continuo vires suas exserendi, et proinde etiam iudicandi, conatu cum *inertia* coniuncto.

4) Ex erroris in multis rebus incuria.

5) Ex repraesentationum viuida specie et sensu intensiori; quare ab omni parte perspecta et comprehensa, quae aliqua parte fortius animum impellunt, facilius videntur.

§. 75.

Voluntatis in intellectus decreta imperium.

Deinde ea est voluntatis, sicuti in omnibus viribus nostris, ita etiam in intellectu regendo, potestas, vt, quae ingrata nobis sunt, missa plerumque faciamus, iis autem inhaereamus et opitulemur, quae nos valde delectant. Animum ergo saepe auertimus ab ea parte, et ab iis cogitationibus, quibus verum doceri possemus; et ea tantum exquirimus atque congerimus, quibus grata species exoriatur aut sustentetur. Neque consilio vti hoc agamus, opus est; siquidem naturalis idearum adsociatio et sequela ad ea nos ducit, atque, vt accipiamus, efficit, quae animi statui, curis atque desideriis consentanea sunt. (§. 26) Quae si fortius adficiunt animum, atque adeo perturbant; multo etiam magis veri iudicium peruerti

et

et fallaces rerum ſpecies ſuperare poſſe, quis eſt, qui neſciat aut non intelligat? Quare *animi perturbationes* ſ. *paſſiones* efficaciſſimis in omni cognitionis genere errorum cauſſis merito adnumerantur.

Et cum omnium propenſionum haec ad errores gignendos vis eſt; tum quaedam ſunt earum genera, quibus ad errores in cauſſis quibusdam ſingularibus proni natura homines euadunt. His certe principiis magnam partem debetur fides, quam vulgo inueniunt mira et ſtupenda naturaeque vires ſuperantia ſpondentes narrantesque, et multorum ad paradoxa procliuitas.

Neque tamen ad errores ſuſcipiendos efficax ſolum eſt vis propenſionum; verum etiam ad veras ſalutaresque opiniones informandas tuendasque eadem ſaepe permultum confert. *)

*) Cf. MALLEBRANCHE liv. IV et V. BASEDOW *Elementarbuch* l. p. 423. HOME *Geſchichte der Menſchheit*, Th. II. p. 49.

§. 76.

Verborum fallaciae.

Verborum etiam, quibus ad excitandas animo rerum notiones vtimur, ea saepe est ratio, qua in errorem facile incidamus. Praeterquam enim, quod non res ipsa, sed nostra tantum quaedam rerum cognitio eorum ope excitetur; ea magnam partem ita comparata sunt, vt res valde diuersas facile confundamus. Deinde huic repraesentationum typo ita adsuefiunt homines, vt verba rerum ipsarum loco fere habeant; vnde plura exsistunt errorum genera. Denique iis nonnunquam nominibus res sunt insignitae, quorum natiua aut alias familiaris significatio, aliam plane, quam quae rei inest, formam animo sistit. *)

*) Cf. LOCKE B. III. ch. X. HELVETIVS disc. I. ch. IV. HOME *Geschichte der Menschh.* Th. II. p. 45 f.

§. 77.

Praeiudiciorum vis.

Denique ex vno errore saepe plures alios nasci notum est, atque ex iudi-

diciorum nostrorum principiis intelligitur. Vnde opiniones male praeconceptas, *praeiudicia* vulgo dicunt, inter errorum caussas etiam referri par est. Eorum ingentem in omni cognitionis genere esse numerum, magnamque vulgo in omni vita, maximam tamen in prima aetate, et eius potissimum, quod *auctoritatis* vocatur, vim esse, satis constat. Neque vero vel sine omni veri specie animo sese insinuant eiusmodi opiniones, vel non nisi errores vbique pariunt. Quare licet noxia plurima sint praeiudicia, quaedam tamen etiam innoxia fuerint; quin probabilia, sicubi rectius, quod in opinando aliquis sequatur, iudicium non adsit. Sua autem sicuti in vniuersum difficilius detegit quisque praeiudicia; ita quae diu inualuere, quae plurimos aut magnae auctoritatis homines habent consentientes, quae multorum placitorum fundamenta sunt, ea denique, quae animi propensionibus fauent, quarum in adiuuandis etiam eiusmodi opinionibus satis conspicua vis est, omnium difficillime

lime exſtirpantur. Porro ea eſt intellectus humani ad praeiudicia propenſitas, vt maxima ingeniorum diuerſitate vix aliud quidpiam, niſi praeiudiciorum diuerſitas, praeparetur.

§. 78.

Conſectaria practica.

Ex his recte cogitandi principia iam adparent, atque generales erroris euitandi regulae. Nimirum

1) Iudicium antea quam feramus, aut ab alio prolatum noſtrum faciamus, certane adſit et ſufficiens ratio, explorare, eaque ſi deficiat, noſtrum potius *ſuſpendere iudicium* oportet.

2) Porro pro rationum pondere et certitudine iudicium aut aſſenſum *temperare* et *moderari*;

3) Denique cum, principiis minus recte conſtitutis, etiam quae legitima ratione conſequuntur, falſa eſſe poſſint; de veritate certi eſſe non poſſumus, niſi *praeconceptas opiniones* noſtras, a quibus initium ducunt pleraque

que iudicia nostra, atque *fundamenta*, quibus innituntur, ad vnum omnia penitus explorata atque excussa nobis fuerint.

4) *Dubitatio* itaque recte iudicandi dici potest initium. Quae vero vti recte procedat, a praecipitantia, passionumque fraudibus, vti alias, studiose cauendum est.

*) Cf. CARTESII *Meditatt.* de *philos. prima, medit.* I.

CA-

CAPVT III.

De recto sensuum vsu, arteque experiundi.

§. 79.

Corpora vtrum vere sint!

A sensu quandoquidem initium ducit omnis cognitio nostra, iudiciumque omne externi interniue sensus auctoritate vel confirmari vel refelli solet; haec ipsa sensuum quae sit auctoritas, quoque fundamento nitatur, sedulo examinari necesse est. Et *sensus* quidem *interni* auctoritas in eo, quod nobis videatur, quod cogitari possit, verumque adeo dici, constituendo necessario agnoscenda est. (§. 63.) Ad rerum autem, quae sensui obuersantur, indolem caussasque cum venitur; tum vero sensus auctoritas saepe periclitatur, et multa sunt, quae contra eam dici possint. Et in primis res extra nos positae, quae sensui adparent, *corpora,*

porá re vera vtrum exsistant, an *visorum, idearum* numero mere sint habenda, dispiciendum est; siquidem qui negarent hoc aut saltem dubium censerent, multi reperti sint *Idealistarum* nomine noti. Quae caussa cum sine manifesta sensus communis iniuria in disceptationem vocari non posse plurimis videatur; ab aliis eiusmodi solet defendi argumentis, quibus non solum in longam et ambiguam controuersiam res adducitur, sed neque ad eum exitum deducitur, quem naturalis persuasio exspectare nos fere iubet. Nobis rem iterum iterumque pensitantibus, omnem hanc controuersiam a logomachia parum abesse, omniaque, quae in vtramque partem disputantur, eo redire videntur, *quae naturali constitutione communique lege humano sensui adesse videntur, quae constanter apparent, re vera adesse* dicenda esse, *rerumque loco habenda;* siquidem horum eorumque, quae mere videri inter omnes conuenit, et maxima est diuersitas, et hanc ipsam diuersitatem innuere, nil aliud sibi velle, il-

illud *rei, quae vere extra nos adsit*, nomen, vsus vocabuli, atque notionis, quae eo profertur, origo manifestant. *)

*) Celeberrimi episcopi Angli BERKELEY dissensum, non ipsi tam caussae quam defensoribus eius quibusdam grauem, v. in eius *Dialogues between Hylas and Philonous*, it. in ESCHENBACHS *Sammlung der vornehmsten Schriftsteller welche die Wirklichkeit der Koerperwelt leugnen*. Adde MALLEBRANCHE R. de la V. Eclairiss. II.

§. 80.

Vtrum eae, quae sensibus adparent, corporum qualitates?

His ita constitutis minus habet difficultatis ea disputatio, quae ad rerum extra nos positarum, quae sensu percipiuntur, *qualitates* omnesque determinationes spectat. Quod si enim rem totam vere extra nos adesse sensuum testimonio recte asseritur; partes etiam eius atque singulas adfectiones ita adesse, confitendum est. Neque tamen vel hoc ad alia, quam quae *naturali lege constanter adparent*, transferendum; neque aliter, quam nostri, quo iam gaudemus, intellectus, quaeque ad eum per-

pertinet, veritatis respectu, interpretandum est. Et quamuis quasdam earum, quas sensu percipimus, adfectionum magis a sensuum nostrorum natura pendere, alias minus, intelligamus; vtrum tamen vlla earum, qualis a nobis concipiatur, absoluta et immutabili veritate sit, dubium certe est *).

*) Cf. SEXTVS EMPIR. *Hypotyp.* II. cap. 6. CARTESIVS *princip. philos. part.* II. §. 3. IV. §. 198. MALLEBRANCHE liv. I. LOCKE B. II. ch. VIII.

§. 81.

Num eadem omnibus hominibus adpareant?

At hoc quoque dubium nonnullis visum est, num eandem rem eodem modo plures homines sensu percipiant, saltem ea similitudine, qua de alterius sensu ex suo quisque iudicare possit? Et perfectam quidem similitudinem vel nunquam, vel rarissime obtinere, et experientia docet et ex caussis ipsis intelligitur. At satis magnam et finibus plerumque respondentem eam conuenientiam esse, dummodo uterque sensu recte vsus sit, eadem ratione patet, ne-

que iis, quae contra dicuntur, infirmatur *).

*) Cf. SEXTVS lib. VII. *adu. Logicos* fegm. 195 feq. MALLEBRANCHE liv. I. ch. VI. §. 1. ch. XIII. §. 5.

§. 82.

Singulare visum quodnam verum?

Cum vero non omnibus, quae ex fenfu oriuntur, ideis iudiciisque veritas ifta et confenfio tribuatur; quibusnam characteribus legibusue praua a rectis diftingui, atque ab errore caueri poffit, curatius iam eft tradendum.

Itaque de veritate vifi non ante eft pronuntiandum, quam corpore et animo bene nos valere, et omnia media et adminicula, quibus fenfus eget, recte conftituta effe, conftet. Quae fingula mentis compos homo facile plerumque diiudicauerit, et maxime quidem, vbi aut pluribus fenfibus locus eft, aut alii adfunt experientiae participes; modo praeiudicatis opinionibus aut affectuum perturbatione quisque liber fuerit.

§. 83.

§. 83.

Verum vbi etiam optime constituti sensus sint et legitima visa, iudicio tamen facile peccatur, plura, quam sensu adhuc comprehensa sunt, *vitio subreptionis* inferente. Ad quod euitandum Vitium subreptionis.

1) Primo quidem non nisi *singulare* iudicium ferendum est, neutiquam generale; idque omni, quo fieri potest, modo curatissime circumscriptum.

2) In viso *nomine* aliquo designando caute versandum; quippe quo plerumque longe plura conclusa sunt, quam sensu adhuc percepta.

3) Praecipue autem a sensus enuntione ea separanda sunt, quae nunquam sensui immediate patent, qualis est caussarum finiumque relatio. Quibus singulis praeiudicia et animi affectus vehementiores adeo contrarii sunt; ut freqtentissima vbique esse vitii subreptionis exempla, mirum non sit.

§. 84.

Obseruationis leges et adminicula.

Maiorem vero nonnunquam curam artemque requirit is sensuum et experientiae vsus, quo ad scientiam, id est solidam rerum intelligentiam, liceat contendere. Nempe

1) Praeuia quadam eorum, quae obuia futura sunt, notitia, adeoque praeparatione, nonnunquam opus est.

2) Nonnunquam nudi non sufficiunt sensus, sed externa adhuc organa requiruntur.

3) Constanti saepe, quin pertinaci et ad plura etiam celerrime conuertenda animi intentione, quaeque nullo casu facile turbetur, opus est;

4) Sagacitate porro, qua, quid quacunque ratione futurum sit, aut obtineri possit, praeuideatur et colligatur;

5) Denique accuratissima omnium phaenomeni partium, omnium rerum circumstantium, adnotatione *).

*) ZIMMERMANN *von der Erfahrung in der Arzneykunst.* *L'art d'obseruer* p. SENEBIER. (deutsch. 1776).

CA-

CAPVT IV.

De caussis atque viribus rerum indagandis.

§. 85.

Definitiones.

Caussae notio supra iam (§. 37.) tradita quo luculentior fiat, a caussa proprie sic dicta differre ea omnia, quae *conditiones* quidem, sine quibus effectus non exstitisset, fuere, at nullam vim ad eum producendum contulerunt, notandum est. Maxime autem a caussa differt *casus*, h. e. eiusmodi res aut relatio, qua posita licet aliquando effectus, de quo quaeritur, exsistat, neutiquam tamen est necessarius; quae itaque rei eiusmodi ad effectum hunc relatio legem naturae non constituit, sed communibus naturae legibus ad eiusmodi effecta spectantibus contraria potius est. Caussarum alias esse *immediatas* alias *mediatas*, hasque vel consecu-

tione f. *subordinatione necessaria* vel *contingente*, alias *principales* alias *instrumentales*, *sufficientes*, minus *sufficientes*, *perfectas*, *adiuuantes*, (v. CICERO *de fato* cap. 18.), *occasionales*, *exemplares*, *finales* alias*); ex nominum ratione atque exemplis facile intelligitur.

*) V. SENECA epist. LXV.

§. 86.

Axiomata. Iam *principia*, quibus nostra de caussis iudicia constituuntur, vel ipsis notionibus iam suppeditata, vel experientiae constantia satis stabilita, haec sunt potissimum notanda;

1) *Vbi caussa* plena cum omnibus conditionbus *adsit*, *effectum non deficere*, et v. v. *neque plus* esse *in effectu* posse, *quam in caussa*, facile est ad intelligendum.

2) *Vbi caussa* sit, *ibidem effectum* oriri, neque *in distans*, vti loquuntur, caussam aliquam immediate agere; experientiae profecto nostrae satis est

consentaneum, licet ex primo de caussis conceptu non omnino pateat.

3) Similiter etiam a caussae exsistentia ad effectum eius caussae progressum aliquem et statuum successionem manifeste adeo plerumque experimur, vt is etiam cogitandi ordo, quo *caussam prius* exstitisse, *dein effectum* concipiamus, maxime naturalis nobis sit. Neque tamen is ordo re ipsa necessarius sic videtur, vt res aliqua alterius vi exsistens non possit inde ab initio, vel si ab aeterno haec exstiterit, ab aeterno caussae suae adiuncta videri.

4) *Caussam sui ipsius* proprie nil dici posse, ex notionibus euidens est.

5) At vero *in caussarum consecutione* statuendum *aliquid esse primum*, quod nulla vlterius caussa egeat, nisi omne de caussis iudicium intellectui nostro eripere velimus, necessario concedendum est*).

6) Virium genera cum non nisi effectuum ratione distingui queant,

a virium similitudine effectuum similitudinem pendere, et retro, necessario confitendum est. Atque hac ratione *eandem* plane *caussam eundem proxime effectum sequi*, *eiusdemque* plane *rei eandem caussam proximam subesse;* experientia omnino docet **).

*) V. HOLLMANNI *Metaph.* §. 321. CRVSII §. 149. REIMARI *Betrachtungen ueber die natuerliche Religion*, p. 90. BASEDOW *Philalethie*, I, §. 209. LAMBERT *Architectonic* §. 472. HVTCHESON *Synops. Metaph.* p. 37.

**) BASEDOW *Philalethie*, II, §. 97 seqq.

§. 87.

Nil sine caussa fit.

Caput autem huius doctrinae et arx summa hac continetur propositione, *sine caussa nihil fieri*, nec, *nisi quod absolute necessarium sit, omnino esse quidquam posse.* Cuius prior pars omnis rationis humanae fundamentum ita constituit, vt illi, nisi huic simul, nuntium mittere nemo possit; atque adeo vel ex intellectus nostri natiua indole, vti alia quaedam (§. 63.) vel

ex

ex perpetuo omnis experientiae nostrae consensu consequens hoc esse, necessario concedendum sit.

Contingens autem si quid nobis *vel* manifesta mutabilitate sua, *vel* aliarum certo contingentium rerum similitudine videtur; tum idem a caussa quapiam pendere, cuius vi ita constitutum sit, *ibi* experientiae ductu, *hic* analogica ratione, non minus recte neque minus necessario iudicamus *).

*) Cf. PLATO in *Timaeo*, Opp. edit. Ficin. p. 1076. ARISTOTELES *phys.* II. 4. CICERO *fin.* I. 6. *diuinat.* II. 28. LEIBNITZ *Theod.* I. §. 44. WOLF *Ontol.* lat. §. 70-75. CRVSIVS *Ausfuehrliche Abhandlung von dem rechten Gebrauche und der Einschraenkung des sogenannten Satzes vom zureichend.* BASEDOW *Philaleth.* II. 92. 170. LAMBERT *N. Org.* I. p. 569-76. BEATTIE *Versuch etc.* p. 85.

§. 88.

Quibus ita constitutis, facile efficitur, Consectaria.

1) Eorum, quae *caussarum intelligentium* operibus plane similia sunt, a fortuito caussarum concursu plane diuersa, intelligentem caussam legitime statui.

2) In *caussarum finalium* genere illud probabiliter sumi, quod cum ipsa rerum constitutione maxime efficitur, tum caussae alias cognitae propensionibus maxime consentaneum est.

§. 89.

Errorum circa caussas potiora genera.

Haec ipsa principia dum sequi nobis videmur, minus tamen circumspicientes in varios errores incidimus;

1) Caussam reputantes, quidquid antecessit, aut obuium est, et maxime quidem si natura eius rei parum adhuc perspecta nobis sit, et miros aliquantum nos habeat;

2) Omnem effectum rei tribuentes, quae pars tantum caussae fuerit; aut etiam omnino reiicientes, quod non vnice sufficiat;

3)

3) Aut vim, rationemque, qua res quaedam caussa exstiterit, male concipientes. Ex quibus erroribus plures alii facile promanant. In quibus gignendis fouendisque cum propensionum iterum manifesta satis est potentia; tum ea plurimum efficit, naturalis homini, at iustis non semper limitibus circumscripta, persuasio, similes iis, quas cognitas habemus, caussas vnicuique apparentiae subesse *).

*) Quae ratio quantum valeat apud barbaras gentes, exempla docere possunt in STELLERS *Beschreibung von Kamtschatka* p. 64. KRANTZ *Historie von Groenland*, I. 296. ISELIN *Geschichte der Menschheit*, I. 183.

§. 90.

Caussam itaque aliquam rectius exploraturis, et quidem ipsa *experientia duce*, crebra atque attenta obseruatione opus est, vt quae coniuncta naturae legibus atque perpetua sint, ab iis, quae casu intercedunt, sedulo discernantur. Vbi si in viribus nostris posi- Quomodo indagandae?

positum est, quoties lubet, phaenomenon instaurare; res minus habet difficultatis; neque tamen tunc caueri saepe potest, quominus diu ancipites haereamus.

Alia autem adhuc patet via, qua caussae indagationi operam nauemus, *analogica* nimirum colligendi *ratio*. Similium enim euentuum cum similes esse caussas sumi possit, similesque similium caussarum effectus; cum phaenomenon ipsum, tum res circumstantes aut praecedentes lustraturi, forte incidimus in aliquid, quod similitudine sua caussae suspicionem nobis faciat. Quae magis confirmabitur, si

1) Caussam alias satis cognitam in hoc casu operari *potuisse*, extra dubitationem positum sit;

2) Si nihil sit in omni effectu, cui vires huius caussae alias cognitae non sufficiant;

3) Si nulla alia caussa cogitari possit, quae vel huic ipsi phaenomeno, vel

vel generalibus naturae legibus magis conueniens sit.

Vbi ad communem aliis euentibus caussam res quaedam deduci non potest; in hac tanquam peculiari naturae lege subsistendum est. A *passionum* autem atque *praeiudiciorum* illusionibus in hoc etiam iudiciorum genere diligenter cauendum; et in primis quidem illud neutiquam committendum, vt *de finibus* animo informatae, vtcunque verisimiles, et alias consideratione dignae, aut aliunde *longius petitae opiniones* in phaenomenis obseruandis, caussisque explorandis retardent aut omnino reprimant nostram ipsorum aut aliorum naturae speculatorum diligentiam.

§. 91.

Caussa generatim cognita, *virium* indolem atque operandi modum accurate perspicere multum interest. Quod iterum vel experientia vel analogica conclusione, non tamen absque insigni saepe ac difficili opera, obtineri potest. Virium cognitio.

§. 92.

§. 92.

De sensus interni auctoritate et phaenomenorum psychol. interpretatione.

Sensus interni ad determinandum illud, quod aliquis percipiat, aeque ac externi, necessario admittenda est auctoritas. Neque ex consensu phaenomenorum eorumque constantia hic quoque vires legesque naturae patere, negari potest.

Cum vero sensu tantum, quid fiat, non vnde ortum, quod percipitur, traxerit, sit manifestum: omnia ea iudicia, quibus eorum, quae sensui interno obiecta sunt, definiuntur caussae, vt sunt pleraque, rationis scrutinio, earumque, quas hactenus exposuimus, legum normae subiicienda esse, adparet. Idque eo maiori cura institui debet; quo facilius diuersorum principiorum similitudine hic falli animus atque in grauissimos errores incidere potest. Etenim et praeiudiciorum in his partibus maxima vis est, atque imaginationis ειδωλα fraudi facillime esse possunt; et vero maiori perspi-

Ipicacia omnino opus est, si singula rite distinguenda, suisque sint caussis vindicanda, in intima hac et celerrima, nonnunquam etiam inueterata effectorum consociatione.

CA-

CAPVT V.

De meditatione recte instituenda.

§. 93.

Generalium notionum analysis et definitio.

Ea, quae sensus docet atque experientia, colligens ad generales notiones et relationes constituendas, aut analogia ductus ad alia diiudicanda adhibens, quibus legibus obtemperet intellectus noster, pluribus supra locis ostensum est. His autem ratiocinandi legibus, quibus repugnare non possumus, quo vbiuis satisfiat; ante omnia de conceptibus vniuersalibus, quos in mente fouemus, dispiciendum est. Quare et *nominis significatio* plene curateque est *definienda;* ipsiusque *conceptus*, opinionisque, quam continet, *origo* atque fundamenta sunt diligenter *examinanda.* Hoc qua ratione fieri possit, facile patet (§. 19). Illud autem vt obtineatur, rei, cuius conceptum con-

constituere animus est, variae species exemplaque maxime diuersa, dein opposita, atque etiam affinia circumspicienda sunt, conferenda, examinanda.

§. 94.

Distinctionum diuisionumque vsus.

Ad quod ipsum iam multum conferre possunt, quarum alias etiam maximus vsus est, *distinctiones* atque *diuisiones*. Et illis quidem cauetur, ne res nomine aut indole etiam aliquantum conuenientes plane confundantur. His autem omnia, quae generali cuidam notioni subsunt, ita sistuntur, vt et quid generatim certo constitui possit nec ne, quidque speciarum similitudine coniici, facillime adpareat. Ipsa autem ea, quae genere quodam comprehenduntur, cognita iam et in memoriam modo reuocanda esse, hic quidem sumitur. Itaque curandum modo est, vt diuisio iis principiis eoque ordine procedat, quem aut generales disiunctionis leges (§. 51.) aut fines alicubi maxime propositi requirant.

§. 95.

Quaeſtiones quomodo ſoluendae?

At enim vero plura nonnunquam, atque cognita adhuc nobis ſunt, meditabundi quaerimus; ſeu neceſſaria, ſeu probabilia, ſaltem poſſibilia. In *quaeſtione* itaque aliqua haerentes

1) Terminorum, quibus ea quaeſtio continetur, accuratiſſimas definitiones atque explicationes quaerere oportet.

2) Tum quaeſtio ipſa, ſi pluribus conſtet quaeſtionibus, in ſimpliciſſimas partes reſoluenda.

3) Vnaquaeque earum, ſicubi magis determinari poſſit, per ſpecies ſubiectas, aut ad generaliorem quaeſtionem referri, eo omnino adducenda eſt.

4) Iam de eo maxime cogitandum, num quaeſtioni propoſitae alia ſubſtitui poſſit notior, aut plane perſpecta, vel omnino eadem, vel ſatis tamen conueniens; quapropter ſingulas no-

notiones definitionis diuisionisque lege iterum iterumque explorare, quidque ex singulis datis elici possit, inquirere opus est.

§. 96.

Ex his iam facile erit ad diiudicandum, quibus fundamentis nitatur, et quem vsum habere possit *topica* inueniendi *ars*, veterum recentiorumque Logicorum Rhetorumque scriptis celebratissima *). Vnicuique nempe rei cum multa sint cum aliis rebus *communia*; eorum, quae communia sunt, *locos* quosdam constituere placuit; ex quibus *vel* ea ipsa, quae generatim notata sunt, in caussa qualibet repetere, *vel* ad similia reique propositae magis propria inuenienda initium ducere possis. Quibus initiis quamuis tirones, nullis adhuc meditationis legibus adsueti, notionibusque restricibus parum imbuti, et alii etiam vti nonnunquam possint; neque tamen multum ab his adminiculis sperandum, neque verendum non est, ne generalibus inhiando Topicae artes.

 ma-

magis accommodata aliquis praetermittat, aut etiam proprios ingenii ad praeclara enitentis ſtimulos reprimat.

*) V. ROETENBECCII *Logica vetus et noua* part. II. p. 714 ſeq. CRVSII *Logica* p. 1038. DARJESII *Via ad veritatem* p. 120 ſeqq. ULRICHS *Anleitung zu den philoſophiſchen Wiſſenſchaften*, §. 88 ſeqq. Adde VERVLAMIVM *de augmentis ſcient.* lib. V. cap. 3.

CA-

CAPVT VI.

De cognitione veritatis ope testimoniorum.

§. 97.

Quamquam in hac cognitionis nostrae parte multa occurrant, quae fallere nos aut dubios relinquere possint; tamen certa quaedam ac firma hic quoque inuenire licet fundamenta, quibus recte acquiescamus. Nimirum Cognitionis huius fundamenta.

1) Cum ea, quorum repugnantiam euidentissime perspicimus, nulla testium auctoritate vera habere queamus; alia, quae relata accipimus, ita possunt esse comparata, vt, nimima etiam testium auctoritate accedente, ipsa iam per se fidem mereantur.

2) Deinde testimonii alicuius ea potest esse conditio, vt neque erroris ne-

neque mendacii suspicio sufficienti caussisque naturalibus conuenienti ratione locum habere queat.

3) Denique is potest esse diuersorum testium numerus, vt idem omnibus mentiendi consilium, eundemque errorem tribuere, ab omni experientia omnibusque cum ratione iudicandi principiis abhorreat.

§. 98.

Variae augendae minuendaeue fidei rationes.

Ad has testium reique ipsius conditiones accedunt nonnunquam alia, quae fidem amplius facere possint. Silentium primo vel etiam consensus eorum, quibus contradicendi et occasio erat et probabilis caussa. Dein temporis vel loci, vbi testimonium aliquis proferret, confirmaretque, conditio.

Sunt vero etiam aliqua, quae fidem minuant suspicionemque moueant; sectae, cui addictus testis est, decreta; aetatis, qua vixit, ad fabulas condendas propagandasque procliuitas; alio-

rum,

rum, quibus aeque cognita tuendaque veritas fuerat, silentium aut dissensus; praetermissio eorum, quae, si quis testis rei adfuisset, praetermissa fuisse probabile haudquaquam est; eorum denique, quae locum habere vel obseruari ab eo teste non poterant, illatio.

§. 99.

Porro ex his consequens est, Regulae inde consequentes.

1) Cum in testium examine et facultatis et voluntatis verum dicendi ratio semper habenda sit; attamen testimonii auctoritatem modo ab hac, modo ab ea parte, magis pendere.

2) Rei testem proprie esse non posse, nisi, quem *oculatum* dicunt, rei gestae praesentem; *auriti* vero aut mediati omnino testis auctoritate tum demum aliquid constitui posse, cum vel ipsius iudicium, vel eorum, quos ipse secutus est, fides explorata satisque probata fuerit.

3) *Coaeuus* itaque, cui hoc proprie nomen competat, teſtis eſſe debet. Neque tamen ea, quae ſubſequentis aetatis teſtium auctoritate vnice nituntur, fidem nunquam mereri, neque hos coaeuis ſemper poſtponendos eſſe, vniuerſe conſtitui poteſt.

4) Quamquam, quod ſaepe falſo adſertum eſt, verum eſſe aliquando poſſit; eo minus tamen fidem mereatur, quo ſaepius *haec ipſa*, quibus iam quoque confirmatur, documenta fefelliſſe, cognitum atque compertum eſt.

CA-

CAPVT VII.

De libris legendis, interpretandis diiudicandisque.

§. 100.

Ad ſolidam doctrinam adſpiranti in omni cognitionis parte librorum opus eſt lectione. At vero dilectu etiam opus eſt; quem recte fieri haudquaquam negari poterit; Qui libri legendi?

1) Si quis optimos potius, quam plurimos, legat relegatque;

2) Multorum ſeculorum iudicio comprobatos potius, quam diariorum fama celebratiſſimos, his tamen non omnino neglectis;

3) Mala nota publice inſignitos neque auide appetat, ingenio animoque nondum ſatis compoſitus confirma-

tusque, neque, cum maturefcendi caftigandique tempus inftet, non legat.

§. 101.

Interpretationis leges principales.

In ipfa autem lectione primum neceffe eft, vt dicta recte intelligamus fenfumque auctoris accurate adfequamur. Id quod nonnunquam facile obtinetur; nonnunquam vero artem requirit, cui ab interpretando *Hermeneuticae* nomen eft. Cuius praecepta generatim his continentur fundamentis.

1) Significatu maxime vfitato verba, qui intelligi vult, plerumque adhibet; *litterali* itaque et maxime *proprio;* aut fi peculiari vel fectae fuae, vel omnino fibi, eo tamen conftanti plerumque vtitur. Eo itaque etiam ordinarie accipienda funt.

2) In omni oratione vti idearum fit confenfio, etiam opera adhibetur. Itaque ex *contextu* interpretatio inftitui debet.

3)

3) *Scopi* etiam libri alicuius aut ſermonis ſpecialis, *locorumque parallelorum*, *claſſicorum* in primis, rationem habendam eſſe; ex iisdem principiis patet.

§. 102.

Vt autem de rebus ipſis iudicium recte inſtituatur, maximumque, quem poſſit, lectio vſum habeat, neceſſarium porro, certe vtile eſt, vt Methodus in lectione ſeruanda.

1) Praeparato aliqua argumenti meditatione, at praeiudiciis libero, animo ad lectionem accedatur;

2) Vt ceſſet haec et meditationi locus iterum relinquatur, quoties vel minus comprehenſa, vel vlteriori disquiſitione digna, vel ad alteriora viam oſtendere, quae obuerſantur animo, videantur.

3) In primis cura atque attentio adhibenda eſt, ne verborum vi aut lepore faſcinati rerum ipſarum iudiciam negligamus.

4)

4) In libris itaque historicis facta primum a iudicio, quod auctor interponit, et conclusionibus, quas ducit, accurate distinguere; quaque auctoritate ista suffulta sint, dispicere oportet.

5) Vbi autem dogmata tranctantur; videndum est, an ea, quae damnat auctor, recte definita, suisque, quibus aduersarii tuentur, rationibus confirmata proponat; propria autem placita vtrum eo significatu et ambitu, quo adhibet, ex principiis suis conclusa sint, et concludi omnino queant; fallaciis, quibus vel consilio vel leuitate sua adducti fucum sibi aliisque haud raro faciunt scriptores, seuero rationis examine opposito.

6) Excerpta atque repetitionem, quae variis modis institui potest, in argumentis grauioribus memoriae conditio plurimis suadebit; aliquam ordinis in lectione etiam habendi rationem necessitas omnibus illucebit.

§. 103.

§. 103.

Ea etiam in librorum vſu quaeſtio nonnunquam oritur et maximi momenti aliquando eſt, num genuinus liber ſit eius, cuius nomen fert, auctoris, an ſuppoſitus, aut mutilatus certe et corruptus. Vbi vel teſtimoniis agendum, ratione ſupra propoſita; vel in libri ipſius indolem inquirendum, atque vtrum cum eius auctoris aetatisue, ad quam refertur, certis characteribus conueniat, ſedulo diſpiciendum erit. Maximum vero in hoc negotio vſum habet ſuppoſitionis librorum corruptionisque cauſſarum, et hiſtoriae omnis litterariae notitia. Ex quibus fontibus non ſolum fraudis aut corruptionis ſuſpicio naſcitur; ſed emendationis etiam ratio felici ſucceſſu ſaepe petitur. Principia artis criticae.

CA-

CAPVT VIII.

De iusta disputandi docendique methodo.

§. 104.

Disputandi leges praecipuae.

Multum omnino non ſolum ad ingenium exercendum, verum etiam ad veritatem accuratius dignoſcendam conferre poſſunt colloquia. Huic tamen ſcopo vt inſeruiat diſputatio, ſiue ore ea fiat, ſiue ſcriptis, ad leges aliquas ex veritatis et intellectus humani natura facile deriuandas inſtituenda eſt. Nimirum

1) Ne lingua mentem praecurrat, minusque perſpecta et penſitata proferat, operam quisque dare debet;

2) Alteri deinde ſua proferenti aurem praebere animumque attentum,

3)

3) Si dissensus oriatur, vnde ille exsistat et in quo contineatur, curate definire;

4) Modeste ac beneuolo animo contradicere atque contradicentem alterum ferre;

5) Hacque et alia quacunque ratione, ne animi exasperentur, cauere.

6) Desistere a disceptatione, si alieno plane ab hisce legibus more aliquis sit, ipsiusque errori alia ratione succurrere.

§. 105.

Quae recte tenet, cum aliis communicaturus Docendi methodus.

1) Curare debet, vt clara omnia et perspicua satis proponat;

2) Solida atque omni parte sibi constanti ratione decreta sua confirmet;

3) Eo modo singula deducat et coniungat, quo facillime cohaerere atque comprehendi animo queant *).

At

At enim vero facile perſpicitur, atque experientia conſtat, horum conſiliorum eam eſſe naturam, vt neque idem ſemper inſtitutionis ordo ſingulis hiſce finibus aeque accommodatus ſit; neque in argumentorum, atque etiam eorum, qui imbuendi iis ſunt, diuerſitate eaedem vbique rationes intercedant. Quo minus dubium eſt, quae generalibus hiſce legibus, quantum fieri poteſt, conſentaneae in aliis differunt methodi ſpecies, *analyticam*, *ſyntheticam*, *dialogicam*, *erotematicam*, *aphoriſticam*, eximium aliquando vſum habere ſingulas poſſe. Quae *mathematica* dicitur aut *geometrica* methodus, harum ipſarum, quas generatim conſtituimus, legum obſeruantia recte celebratur. In ea tamen aliis diſciplinis commendanda cauendum eſt, ne, quae has inter et mathematicas intercedit, obiectorum finiumque diuerſitate minus perſpecta, in abſtractis et audacius ſumtis intellectus conceptibus nimis haereamus, aut certitudinis atque euidentiae ſummae cupidi, moralem iſtam

cer-

certitudinem, et minorem etiam, in qua acquieſcendum nobis ſaepe eſt, probabilitatem vilipendamus.

*) Legentium audientiumue attentio hic ſupponitur. Neque tamen ea, quibus excitari haec et conſeruari poſſit, parui facimus. Quorſum in primis vſus, et momenti, quod argumento inſit, debita expoſitio, et in dicente quidem ſermonis concinnitas et facilis diſcurſus, vocis iuſta temperatio, et fiducia verecundiae leges non transgrediens referri merentur.

CAPVT IX.

De ingeniorum scrutinio et cultura.

§. 106.

De studiorum ratione recte ineunda.

His, quae hactenus tradita sunt, iustae in omni cognitionis genere methodi praeceptis nihil ad ingeniorum culturam atque exercitationem Logicam conferre, dici profecto non potest. Sunt tamen nonnulla, quae his addi possunt, monita ad hunc ipsum finem proxime spectantia. Nimirum

1) Vt omnes ac singulae ingenii vires iusto ordine exerceantur;

2) Vt optima, quam primum fieri potest, exempla proponantur;

3)

3) Ad quaenam ſtudia ingenium quoduis natura maxime incitetur atque contendat, diſpiciatur;

4) Vtut vni ſtudiorum atque exercitationum generi quemquam propius addici conducat, ne tamen ſeparetur adeo atque negligatur, ſine quo illud ipſum feliciter ſuccedere aut conſiſtere non poſſit.

5) Pari ratione in nullo exemplari continuo haerere, neminem vnice ducem ſequi atque venerari, nec ſuo nihil, neque plane ingenio confidere oportet.

6) Denique quantum integra corporis valetudo atque animi ſerenitas ad ingenii alacritatem conferat, nunquam obliuiſcendum eſt.

§. 107.

Ingenia quomodo dignoscenda.

Quum non eadem diuersis ingeniis aeque conueniat disciplina aut exercitatio, operae vero pretium est, quibus indiciis ingenia ipsa satis dignosci possint, inquirere. Quae res ardua profecto et valde ambigua est. Plurima enim impedimento esse possunt, quo minus, quas natura indidit, dotes illico emineant. Deinde ea rerum circumstantium et aetatis et omnino corporis vis est, vt quam certissimis aliquando signis concepisse tibi videreris, egregii ingenii spes saepe euanescat. His itaque satis perspectis, e re tamen est,

1) Varias occasiones et periclitationes mature et vero etiam opportune adducere;

2) Ad quaenam sibi relictus sua sponte pronus sit, obseruare;

3) Quibusnam e re ipsa natis difficultatibus minimum deterreatur, quin stimuletur;

4)

4) Quibusque exemplis tanquam adfinibus ſibi ſuoque ingenio accommodatis maxime delectetur atque accendatur, ſedulo animaduertere *).

*) V. doctam de hoc argumento commentationem in *Neue Biblioth. der ſchoenen Wiſſenſchaften*, tom. VIII.

HISTORIAE LOGICES DELINEATIO.

§. 1.

Logicae origines.

Logicae eae primum partes, quae circa disputationem versantur, excultae sunt; vnde *Dialecticae* nomen. Fraude tamen magis et insidiis aduersarium petendi, quam coniuncta opera verum explorandi artem eam fuisse, documentis adparet; cuius origines in *Eleatica* secta repertae sunt, *Zenone* atque *Protagora* maxime auctoribus. *Socratem* hisce se opposuisse, rectaeque in indaganda veritate rationis non solum exemplum praebuisse, sed quaedam etiam explicuisse praecepta; inter laudes eius merito refertur. Neque tamen impedire potuit, quominus ex ipsius quoque schola egressi quidam in So-

Sophistica hac dialectica desudarent gloriolamque quaererent, a duce *Euclide* illo *Megarensi*, Megarici, et a studiis *Eristici* dicti *).

*) V. I. G. WALCHII *Historia Logices*, cap. II. in *Parergis eius academicis*.

§. 2.

Et hisce quidem *Sophistarum*, *Socraticorumque* studiis via ad maiores parata est progressus, quibus reliquarum inter Graecos scholarum auctores statoresque vel omnem Logices campum emetirentur, vel ea certe distinguerent statuerentque, quibus logicas doctrinas contineri omnes, diu creditum est. Et *Aristotelis* quidem, quem ducem adeo in hac parte, sicut in omni philosophia, secuta aetas posterior est, scripta quamuis molestis vexata fatis, ad nos peruenere, acerrimi profecto ingenii documenta. Neque vero *Stoicorum* studia ac scripta, temporis iniuria nobis erepta, minoris fuisse, testimonia veterum et specimina dubitare nos non pa- De Logica Aristotelis, Stoicorum ac Epicuri.

tiuntur *). *Epicuro* laudi quidem me-rito ducitur, spretis sophistarum difficilibus nugis, planis quibusdam et maxime ad rem facientibus praeceptis, *canones* dixit, suos instruxisse; sed minus acute quaedam constituisse, negari non potest **).

*) V. *Revision der Philosophie* (auct. MEINERS) Sect. II. §. 3.

**) V. CICERO *acad.* IV. 26. 33. *fin.* I. 6. LVCRET. lib. V. 565.

§. 3.

Logica medii aeui.

Neque Romanis neque medii aeui doctoribus, quod referri mereatur, debet logica disciplina. Nihil profecere *Raymundi Lulli* in *arte magna* conatus, ampli quidem at minus perspicacis aut adeo non exculti ingenii viribus maiores. Neque vero tulit ea aetas liberalem ingenii vsum et culturam; cui tamen non defuisse egregiis a natura dotibus instructos viros, satis constat.

§. 4.

Recentiorum studia logica.

Productis tandem meliori fortuna in medium diu latitantibus antiquae sa-

sapientiae monumentis, et deiecto simul humanae auctoritatis seruili isto iugo, logicae etiam scientiae, cum reliqua philosophia, manus salutaris admota est. Et primum quidem scholasticae disciplinae naeui exponi abstergique, *Ramorum*, *Melanchthonum*que opera; mox alia ex antiquis subsidia peti, *Gassendi*, Epicuri vindicis, exemplo; tandem noua etiam tentari. Et magnus ille *Baco Verulamius* vitium, quod in fundamento scholasticae philosophiae haereret, plane perspiciens, missis praeconceptis opinionibus, experientiam ducem vnice sequendam esse, docuit. Geometricae aemulam in omni philosophia methodum princeps iniit *Cartesius*; ex cuius etiam schola exiere alii logicae scriptores celeberrimi; quibus tamen cunctis palmam longe praeripuit *Mallebranche*, ad intimos animi recessus atque ad omnia cognitionis humanae principia, si quis alius, felicissime contendens. Cui *Lockius* successit pari aut non multo minori ingenio, et praeiudiciorum faece magis depurgato ani-

mo, in intellectus humani initia finesque inquirens. In Germania illustris *Tschirnhausen* artis cogitandi atque inueniendi praecepta ipse quoque ex ingenio suo deduxit quaedam solide et luculenter. Cuius seuerus censor exstitit, attamen, quod ipse fatetur, per eum ad diligentiores meditationes excitatus, Cartesianorum aeque ac Scholasticorum osor *Chr Thomasius* *). Excepit hunc *A. Ridiger*, cui etiam geometrarum methodus philosophiae minus accommodata esse, probabilisque opinionis ratio in primis exquirenda visa est. Neque huic parti defuere, altera tamen, cui certitudo proposita est, magis occupati, *Leibnitius*, *Wolfiusque*; quibus aeque ac prioribus istis permultum debere logicas disciplinas, iam in confesso est.

*) V. WALCH. pag. 663.

IN-

INSTITVTIONES
METAPHYSICAE.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Metaphysicae notio antiqua et in maximo dissensu fere communis haec est, vt in res, quae sensu non percipiuntur, et supra sensus positae sunt, inquirat. Nempe rerum, quae ipsae quidem in sensus incurrunt, intimam atque inuisibilem essentiam ab iis, quae sensui manifesta sunt, valde diuersam explorare primo conatur; eoque in primis etiam *Ontologiae* et ipsius etiam *Metaphysicorum* nomen spectat. Ex quo ipso consequens hoc est, vt iis, quae *simplicissima*, et in ordine, quo magis composita oriuntur, *prima* sunt, atque Metaphysicae notio.

atque etiam iis, quae magis *constantia* et *perpetua* sunt, metaphysica occupetur. A quibus ad *spirituum* naturam, atque ad *generalissimas mundi rationes* ipsumque eius *auctorem* progredi, etiam si a primis auctorum huius scientiae consiliis, certe ab ipsa eius ratione et indole alienum non est.

§. 2.

Metaphysicorum diuersa consilia.

Non in ambitu solum definiendo, verum etiam in singularum disputationum finibus, valde differunt scriptorum metaphysicorum rationes. Nonnulli hoc maxime agunt, vt quam plurima constituant omnis generis scientiarum principia et quasi fundamenta; eaque ex generalissimis naturae legibus, aut intellectus nostri conceptibus, consectaria deducant, quae vel experientiae locum supplere, vel regere certe eam possint. Alii vero generalissimis eiusmodi iudiciis ad experientiam nondum reuocatis minus confidentes, id potius sibi proponunt, vt horum iudiciorum fundamenta et auctoritatem libere studio-

diioseque examinent, ad intimos animi ſenſus atque ad reliquos omnis cognitionis noſtrae fontes ea reuocantes. Qua ratione, niſi inueniri multa alias incognita, caſtigari certe atque moderari plurima vtiliter poſſe, experientia ſufficienter videtur eſſe comprobatum.

§. 3.

Scriptores aliquot celebriores.

Conſulendi nobis in Metaphyſicis, praeter ipſum Ariſtotelem, eiusque aliquot Commentatores, videntur *Leibnitius*, *Wolf*, *Bilfinger*, *Baumgarten*, *Ploucquet*; *Cruſius*, *Hollmann*, *Lambert*. Sunt praeterea multi, qui in metaphyſicis argumentis operam vtiliſſime collocarunt, quamuis non illud prae ſe nomen ferentes, quorum vel in Logicis facta mentio iam eſt, vel alias eſt facienda.

CA-

CAPVT I.

Ontologia, ſeu Metaphyſica ſignif. ſtrict. i. e. de ſubſtantia, ſ. ente, quod vere eſt.

SECTIO I.

De ſubſtantia in genere corporumque elementis metaphyſicis.

§. 4.

Subſtantiae nomen duplici ſignificatu.

Subſtantiae nomen quamuis inane fere viſum, atque ad ideam, qua potiri nequeamus, deſignandam comparatum quorundam in hoc capite conatus philoſophorum ſpeculanti LOCKIO viſum ſit*); ens tamen *quod per ſe ſit*, eo nomine adpellari, ſatis conſtat. Ens autem hoc, quod per ſe ſubſiſtit, *cum* ſingulis, quae ſubiecto cuidam inſint,

sunt, *determinationibus*, tum etiam iis cognitionis nostrae obiectis opponitur, quae per cognoscentis subiecti vires simul talia, qualia adparent, constituuntur, *phaenomenis* **). Et substantiae quidem, quae phaenomeno opponi possit, naturam indagare Metaphysicae propositum esse, antea iam innuimus. (§. 1).

*) V. *Essai concern. hum. Underst.* B. I. ch. IV. §. 18. B. II. ch. XIII. §. 17. seq.

**) Vide quamplurimas veterum recentiorumque substantiae definitiones, quarum aliquae in sequentibus a nobis examinandae sunt, in HOLLMANNI *Metaph.* §. 343. seqq.

§. 5.

Cum nulli rei possit neque inesse vnumquodque cuiuscunque generis attributorum, neque non inesse (*Log.* §. 48.); omnium praedicatorum contradictorie oppositorum alterum competat vnicuique rei, necesse est. Hanc dicunt *omnimodam determinationem*. Hoc ipso adparet, non vere talia extra intel- Substantia singularis et vniuersalis.

lectum exsistere, sed abstrahendo tantum concipi *entia vniuersalia*, atque *nomina* ea potius esse, quam *res*, aut certe rerum modo partes.

§. 6.

Corpora vtrum substantiae?

Quamuis iis corporum speciebus, quas natura nobis informat, veritatem inesse, et aliquid etiam extra nos in iis obiectum nobis esse, euictum sit (*Log.* §. 79.); valde tamen confusam et a nostra ipsorum natura pendentem eam speciem esse, manifestum etiam est. Phaenomenon ergo potius, quam substantia, corpus dicendum est. (§. 4).

§. 7.

Elementa corporum metaphysice simplicia.

Corpora quo minus *in infinitum diuidi* posse statuamus, cum illud obstat, quod vnicuique corporis particulae infinite multas partes iterum inesse, infinitum ergo vnum numerum altero minorem esse dicendum foret (*Log.* §. 47.); tum hoc etiam quam maxime, quod, nisi primae partes in constitutione corporum suman-

sumantur, re vera virium initia et qualitatum, quae tribuendae istis sunt, caussae negandae essent vltimae (*Log.* §. 86). Simplicia itaque quaedam corporum elementa esse, adparet *a*). Et omni quidem, ea carere extensione, si vltra diuidi nulla vi etiam diuina possint; conceptibus nostris magis videtur consentaneum, aut certe nihil habere repugnantiae *b*). Vtrum vero ab his ipsis initiis *natura* in procreandis corporibus procedat, aut in resoluendis iis illuc reuertatur vnquam, in medio lubentes relinquimus *c*).

a) V. contrarii demonstrationem, lepidam vero, ex dissertatione viri multis scriptis de aliis disciplinarum generibus bene meriti, b. IVSTI; exhibitam etiam in *Metaphysica nostra germ.* ad §. 36.

b) Ita ante *Leibnitium* etiam CARTESIVS sententiam dixit *epist.* CV. part. I. Contrarias autem rationes v. in CRVSII *Metaph.* §. 104 seqq.

c) Sic et LEIBNITIVS, *Nouv. Ess.* p. 181. Adde WOLFII *Metaphys.* §. 694. Consuli etiam ad haec et sequentia possunt *Institutions Leibnitiennes, ou Precis de la Monadologie.* Immensum autem, quibus hoc argumen-

 tum

tum aliquando celebratum fuit, scriptorum numerum magnam partem indicat WINDHEIM in *Biblioth. philos.* tom. I. et II.

§. 8.

Entium simplicium proprietates quaedam.

Siue corporum elementa, siue alia quaecunque cogitemus entia simplicissima, pluribus nominibus ea differre a rebus, quae in sensus cadunt, facile perspicitur. Siquidem

1) Partium dissolutione ista interire non possunt;

2) Neque nisi ex nihilo oriri, atque omnino in instanti.

3) Neque ea ratione, qua corpora, mutari posse, in aprico est.

§. 9.

Vtrum omnis substantia vi praedita, et qua?

Rem, quae suapte natura aliquid sit et vere exsistat, cogitare non possumus, nisi hoc ei tribuamus, vt vel ad agendum vel ad patiendum apta sit. Eam aptitudinem si *vim* adpellare liceat, *significatu* vocis *latissimo*; vi prae-

praeditam esse substantiam vnamquamque, ex notionibus consequens est. Et quandoquidem neque exsistentiam nisi actione manifestatam concipimus, et quae alterius rei vi alteri accidat, mutatio huius ipsius natura necessario determinanda videatur; omni substantiae mutationum principium, *vim*que adeo *strictiori significatu* inesse, satis probabili ratione constituitur. Verum non hic iam subsistendum summis quibusdam philosophis visum est; sed hoc in primis etiam adserendum, in perpetuo *agendi conatu* vim, si qua exsistat, et substantiam vnamquamque versari *). Et de iis quidem viribus, quarum natura nobis notitiam aliquam concessit, *compositis* et *deriuatiuis* experientia hoc neutiquam declarat. De *simplicissimis* autem, *primitiuis*, omnique cum aliis nexu plane solutis, quales hic considerandae essent, viribus nos quidem nil definire audemus. Quin illud etiam nominum potius arbitraria definitione, quam naturae rerum euidentia constitutum videtur, vnius

ſubſtantiae niſi vnicam vim eſſe non poſſe.

*) V. LEIBNITII Opp. II. p. 19. ſeq. 194 ſeq. MENDELSSOHNII *Phaedon* in append. edit. 3.

§. 10.

Vtrum ens vi alterius poſſit mutari?

Princeps autem in hac diſputatione LEIBNITII ductu et auſpiciis haec quaeſtio enaſit, vtrum ſubſtantiarum ſimplicium, ſeu, quo ille vir ſummus nomine vti maluit, *monadum* vna aliquid in altera vi ſua efficere et mutare poſſit; an vero vnaquaeque mutationum ſuarum progreſſuumque fontem cauſſamque omnem plane in ſemet ipſa contineat? Et pulſu quidem, tactu et conflictu, ſicuti corpora videntur, monades pati et efficere nihil poſſe, nemo facile negauerit. Neque in vniuerſum deſcribi a nobis ratio, qua euenit hoc, poteſt. At enim vero quaſcumque naturae leges ſtatuamus; tandem ad aliquas deueniendum eſt, quarum vlterior ratio et nexus non adparet,

Ne-

Neque vero ea ratio plana et perspicua est, quae sua ipsius vi mutari ens simplex sumit; generalibus potius intellectus nostri legibus et principiis (*Log.* §. 85 seq.) contraria esse, omnemque adeo de caussis notionem tollere videtur; neque in singulis adparentiis difficultates minuit. Pro eo igitur, quem in Logicis definiuimus, caussae conceptu, cum res sensibus obuias caussas inuicem esse negari non possit; substantiarum etiam simplicium vires mutuo determinari confitendum est.

substantiae nisi vnicam vim esse non posse.

*) V. LEIBNITII Opp. II. p. 19. seq. 194 seq. MENDELSSOHNII *Phaedon* in append. edit. 3.

§. 10.

Vtrum ens vi alterius possit mutari?

Princeps autem in hac disputatione LEIBNITII ductu et auspiciis haec quaestio enasit, vtrum substantiarum simplicium, seu, quo ille vir summus nomine vti maluit, *monadum* vna aliquid in altera vi sua efficere et mutare possit; an vero vnaquaeque mutationum suarum progressuumque fontem caussamque omnem plane in semet ipsa contineat? Et pulsu quidem, tactu et conflictu, sicuti corpora videntur, monades pati et efficere nihil posse, nemo facile negauerit. Neque in vniuersum describi a nobis ratio, qua euenit hoc, potest. At enim vero quascumque naturae leges statuamus; tandem ad aliquas deueniendum est, quarum vlterior ratio et nexus non adparet,

Ne-

Neque vero ea ratio plana et perspicua est, quae sua ipsius vi mutari ens simplex sumit; generalibus potius intellectus nostri legibus et principiis (*Log.* §. 85 seq.) contraria esse, omnemque adeo de caussis notionem tollere videtur; neque in singulis adparentiis difficultates minuit. Pro eo igitur, quem in Logicis definiuimus, caussae conceptu, cum res sensibus obuias caussas inuicem esse negari non possit; substantiarum etiam simplicium vires mutuo determinari confitendum est.

Sectio II.

De substantia finita et infinita, necessaria et contingente.

§. 11.

Notionis huius fundamentum.

Quamuis suas ipsius vires varie limitibus circumscriptas esse, persentiat, neque quidquam reperiat animus, cui non desint multa, quibus perfectior natura constituenda videatur; non tamen hisce limitibus consilia sua atque cogitationes contineri patitur, quin supremam aliquam, perfectissimam, nullis plane limitibus circumscriptam, omni labe atque imperfectione liberam, vno verbo, *infinitam* substantiam sibi ipsi proponere atque concipere instituit. Neque a proposito desistit, cum suam ipsius intelligentiam ad notionem hanc explendam neutiquam sufficere, facile perspiciat; sed quidquid boni et praeclari cognitum habet, confe-

ren-

rendo; atque ab omni, quod in rebus obuiis adiunctum est, vitio et incommodo separando, qualemcunque infiniti entis notionem acquirere sibi conatur. Neque in eo reprehendendi videri sane possumus; siquidem, nisi mancam atque imperfectam cognitionem admittere velimus, quid tandem nobis reliquum fuerit, equidem non intelligo. Id modo curandum est, vt principiorum cognitionis nostrae atque limitum probe conscii, pro rationum pondere iudicium temperemus; atque vbi eae omnino nos deficiant, etiam subsistamus.

§. 12.

Ex notione ea, quam nominis ratio postulat, atque definit, consequens facile est, vt Consectaria ex hac notione.

1) Quidquid vere boni perfectique vna esse possit, essentia infinita sic contineatur, vt accedere, quo magis perficiatur, nunquam aliquid possit.

2) Vt duratione etiam infinita, semper sua vi exsistens, sibique plane sufficiens cogitetur.

§. 13.

Vtrum notio E. I. probet eius exsistentiam?

Iamque haec ipsa E. I. notio argumento nonnullis fuit, exsistentiam eius recte sumi; vel quoniam illa hanc non magis sinat esse dubiam, ac trianguli idea, tres eius angulos aequales esse duobus rectis; vel quod neque nobis inesse possit notio entis infiniti, nisi ipsum exsisteret *). At enim vero ex nominum definitionibus nudisque mentis conceptibus nulla experientia nisis, quid in cogitatione quidem sit, non quid vere exsistat, effici, satis iam perspectum est. Ea autem E. I. notio quomodo ex rerum finitarum conceptibus oriri non solum potuerit, sed orta omnino sit, haud difficulter quoque intelligitur (§. 11).

*) V. CARTESIVS *Meditt. de philosophia prima*, medit. V. *Princip. philos.* part. I. nro. XIV. MALLEBRANCHE liv. IV. chap. XI. §. III. BRVCKER *Hist. critic. philos.* tom. V. p. 296. t. III. p. 665.

§. 14.

§. 14.

Quod vbi perſpectum fuit a nonnullis; poſſibilitate tamen entis infiniti, ſi ea in dubium vocari non poſſit, exſiſtentiam eius contineri ſtabilirique viſum eſt; ſiquidem, niſi exſiſtat iam atque ab aeterno exſtiterit, inter impoſſibilia illico numerandum eſſe, conceptus, qui fundamenti loco poſitus eſt, manifeſto declarat (§. 12). Et poſſibilitatem quidem E. I. quis quaeſo negauerit? Quis vero in ſuſpicionem modo adducat; cum in perfectiſſima natura neque contradictionis aut abſurditatis quidquam ineſſe, neque cauſſae defectus aut impedimenta alia, quominus, cum poſſit eſſe, re vera ſit, obſtare poſſint *)? Haec quamuis accuratiſſime a quibusdam et dilucide expoſita ſint; plurimos tamen ad conſenſum adduci non poſſe, experientia docet. Et his quidem haec potiſſimum ratio contraria videtur, quod *poſſibilitatem entis* ex conceptu, ſ. quod vulgo dicunt, *a priori* deducere, Num poſſibilitas?

cuius

cuius tamen conceptum plenum atque adaequatum neutiquam habeamus, non satis firmum atque consentaneum censeri queat. Tum ambigua etiam interrogatio illa, quae cum possibilitate E. I. exsistentiam concludere instituit, esse videtur; siquidem ens infinitum, licet non exsisteret, *cogitari* tamen a nobis, atque, dummodo non exsistere nesciremus, omnino possibile nobis videri posset.

*) V. LEIBNITII *Principia Monadolog.* §. 44 seq. it. Opp. tom. II. p. 254 seq. MENDELSSOHN *Ueber die Evidenz*, p. 35 seq. Anonymi *Neue Bestaetigung des Schlusses von der Moeglichkeit des allervollkommensten Wesens auf dessen Wirklichkeit*, 1771. 4.

§. 15.

Ens necessarium et contingens.

Alia adhuc, quaeque magis perspicua ac firma videatur, entis infiniti exsistentiam probandi ratio proposita est; quae ab euicta ante *entis necessarii* exsistentia procedit. Ens nempe necessarium dicitur, quod non exsistere non possit. Et *absolute* necessarium

vbi,

vbi, ficut in ea, quae iam delineanda est, disputatione, intelligitur; id constituitur, vt tale ens non exsistere sine contradictione dici non possit, etiamsi nihil praeter ipsum cogitatione ponatur. Huic enti necessario opponuntur entia *contingentia;* qualia ergo ea omnia recte dicentur, quae sua natura suaque vi neutiquam exsistere, vel experientia manifestat, vel ex aliis principiis rite deduci potest (*Log.* §. 87). Quod si neutro modo hoc probari possit; in medio etiam relinquendum fuerit, vtrum necessarium aliquid an contingens sit.

§. 16.

Si quidquam exsistat, necesse est vnum aliquod exsistat ens necessarium, aut plura. Quidquid enim exsistens sumatur, vel ipsum hoc est necessarium ens; vel exsistentia sua probat caussae cuiuspiam primae, independentis, absolute necessariae exsistentiam (*Log.* §. 86). Entis necessarii probatio hypothetica.

§. 17.

§. 17.

Vtrum omne finitum contingens sit?

Ens vero necessarium esse illud ipsum, de quo antea disquisitum est, infinitum; ex eo consequens esse permultis adhuc visum est, quoniam finitum quod sit, nulla ratione necessarium reputari queat. Infinitum nempe non exsistens cogitari nequit; non aeque finitum *). Quae ratio autem eo tantum valere nobis videtur, vt finitum, *vi conceptus generalis*, pronuntiari necessarium non debeat. Quum vero conceptibus generalibus multa contraria non reperiantur, aut ex iis consequentia, quae per proprietates speciei aut indiuidui determinentur; vtrum omne finitum contingens sit, an necessario aliquod exsistere possit, in medio *hactenus* relinquendum nobis videtur.

*) V. CRVSII *Metaphys.* §. 137.

§. 18.

Num mutabile.

Alia ratione ad eundem scopum contendentes aliqui ita instituunt. Finitum omne mutabile est, siquidem nec

nec omnia simul, quae vna esse possunt, nec quidquam necessario continet. At vero necessario suaque vi exsistens ab alio ente nullo pendere aut mutari potest. Itaque necessarium ens debet esse infinitum *). — Verum neutra propositionum, quibus conclusio nititur, satis euinci posse videtur.

*) v. BOEHMII *Metaphys.* §. 296.

§. 19.

His licet argumentis entis infiniti exsistentia rigorose atque euidentissime demonstrata nobis nondum videatur; hoc tamen nunquam a nobis impetrare potuimus, vt contrariam sententiam intellectui nostro verique rationibus aeque accommodatam, non istam magis probabilem iudicaremus. Idque his potissimum notionibus effici putamus. Rationes, quibus probabilis fit E. I. exsistentia.

1) Entis infiniti possibilitas in dubium vocari valido argumento nullo potest.

2)

2) Entis necessarii exsistentia cum admitti debeat, infinitae autem essentiae exsistendi necessitas inesse intelligatur; non aperte quidem consequens, at verisimile tamen videtur, duo haec attributa in eadem essentia contineri.

3) Multo maiorem adhuc vim ad hanc persuasionem in nobis excitandam haec exserit cogitatio, quod ens suapte vi exsistens quare limitibus circumscriptum, adque hunc illumue perfectionis gradum, non altius, euectum sit, quare ad hunc locum, hoc tempus adstrictum; nullo modo intelligi potest. Cum omnia haec generali quidem ratione plana et aperta sint, si horum omnium caussam aliquam efficientem atque coordinantem esse confiteamur.

4) Tot vero adesse tamque diuersas formae viriumque excellentia naturas; nihil tamen esse in rerum vniuersitate summum et ab omni parte perfectum, habet nescio quid veteribus iam

anim-

animaduersum, quod ab assensu mentem retineat *).

5) Denique in ipsa mente humana sensus aliquis inesse fere videtur, qui altius aliquid spiret, atque desideria nostra non magis quam cogitationes rebus imperfectis atque limitatis plane contineri patiatur. Verum omnia haec non nimis vrgenda esse, et minorem potius caliginis gradum, quam lucem, nos quidem censemus.

*) V. CICERO N. D. II. 12. 13.

§. 20.

Non nisi vnum ens posse esse infinitum, sunt, qui hoc argumento tueantur, quod duae quaecunque res proprietate aliqua, quae alteri insit, differre debeant; entia autem infinite perfecta nihilo differre possint. Verum generale istud negatae perfectae similitudinis principium euinci hactenus non potuit. Ens vero vnum infinitum omnibus finibus sufficere; et cui vni omnia alia subsunt, facilius infinite perfectum cogitari

An ens infinitum modo vnum esse possit?

tari posse; parum aut nihil habet dubitationis.

§. 21.

An vna tantum eaque infinita substantia exsistat?

Ad alium vero plane exitum, nisi labyrinthum potius dixeris, haec de substantia entiumque finitorum natura disquisitio aliquos perduxit. Entium quippe, quotquot adesse nobis videntur, omnium eum nexum, eamque a vi quadam ipsis externa dependentiam perspicere sibi visi sunt, vt vnius potius infinitae substantiae attributa, iisque nata phaenomena, quam plures substantias, dicere mallent; variosque ratiocinandi modos, quibus opinionem hanc defenderent, excogitarunt *). Qui nobis quidem eundem errorem commisisse videntur, cuius Idealistas reos egimus; (*Log.* §. 79.) intra limites cognitionis nostrae natura definitos aegre sese continentes, deinde ambigua et ad alienum sensum spectantia nomina pro vsitatis magisque accommodatis adhibentes. Alias enim quis ferret, se et aliquam quamcunque rem mun-

mundumque vniuersum vnam dici substantiam? Argumenta etiam longius petita facile exploduntur **).

*) CARTESIO iam substantiae nomen in Deum proprie magis quam in res finitas quadrare visum est. Neutiquam tamen hoc principio eo se abduci passus est, quo SPINOZA rem deducere conatur. V. huius *Ethica*, part. I.

**) Reliqua magisque explicita de infinito ente philosophumena infra in Sectione de *mente perfectissima* proponentur.

SECTIO III.

De spatio, tempore et motu.

---

§. 22.

Ea, quae sensibus obuersantur, seueriori intellectus iudicio in discrimen constituentes metaphysici cum primis etiam *spatio*, *tempori* et *motui* diem dicere solent. Et illud quidem a materia seu corpore ipso non nisi no- Spatium quid?

nomine differre aliqui declarant; alii spiritum potius dicendum putant, et forsitan infinitum; neutrius generis alii, et vel ad infinitae substantiae modos infinitos numerandum, vel eiusdem quasi sensorii loco habendum; porro non substantiam, neque attributum substantiae, aut omnino accidens, sed merum respectum seu relationem esse, magni nominis philosophi dixerunt *); nonnulli autem spatium ipsum, ab iis, quae in spatio exsistunt, distinctum, nihil esse omnino reale aut positiuum, extra intellectum, sed merum inane, vacuum, contendunt. **) Et ab hac quidem sententia cur recedendum sit, nulla adhuc ratione perspicere potuimus.

*) V. de singulis hisce opinionibus plura referentem HOLLMANNVM *Metaph.* §. 113 seq. adde HVTCHESON, *Metaph.* p. 22.

**) V. HELVETIVS *de l'Esprit*, I. p. 59.

§. 23.

§. 23.

Temporis vero notionem non nisi in successione rerum perceptionumque locum habere, vsus vocabuli, et sensus communis facile manifestat. Vbi ergo nihil exsistere aut nullam omnino esse successionem ponitur; neque tempus adesse, necessario consequens est; tempusque, quod *in abstracto* dicitur, illud modo innuit, certi generis res successionemque ad generalem temporis conceptum non requiri. Quamquam illa abstrahendi ab omni certo genere, aut omni omnino successione, mentem conditio naturae nostrae nimis aduersatur, atque adeo in erroneam persuasionem inducere nos potest, quasi omnibus rebus seiunctis re vera tamen aliquid in se spectatum tempus sit *). Tempus.

*) V. HOLLMANN §. 331 seqq.

§. 24.

Motus cum tempore et spatio arctissimum esse ~~nexum~~, quisque facile intelligit. Hunc itaque etiam ad metaphysicas rationes reuocantes aliqui mere De motu.

 vi-

videri, non vere esse, contendere ausi sunt *). Alii, in hac notione subsistendum, motum esse ordinis, seu modi, quo res aliis coëxistit, mutationem. His quidem non repugnamus, neque tamen veremur, ne idea motus, qualis sensui debetur, fraudi facile sit **). Certe rationes, quibus illi motus veritatem negare animum induxerunt, vanas futilesque esse, facili opere probari potest. Motus vero in natura contingentis *conditiones* atque *leges*, viriumque, a quibus proficiscitur aut limitatur, naturam non nisi experientia tuto concludi, adeoque ad physicas disciplinas pertinere, persuasum nobis habemus; atque ipsis metaphysicorum tentaminibus in hac caussa suis principiis aliquid efficiendi satis perspectum est.

*) V. BAYLE *Dict.* art. *Zenon*, rem. k.

**) V. WOLFII *Ontolog.* §. 642. coll. §. 672.

CA-

CAPVT II.

Pneumatologia s. de natura substantiarum sensu atque cogitatione praeditarum.

SECTIO I.

De natura hac in genere spectata.

§. 25.

Substantiae cogitantis s. spiritus nomen adeo late patet, vt perdifficile sit, omni respectui satis accommodatam generis notionem proponere. Ex animorum quidem humanorum contemplatione nata, quorum non in genere solum magna diuersitas, sed statuum in singulis maior adhuc mutatio contingit, in ipso principio suo perquam vaga, neque certis limitibus circumscripta est. Accedunt mentis vltra ex- Spiritus notio generalissima.

experientiae limites ratiocinando procedentis variae conclusiones aut persuasiones. Itaque *spiritus*, *animae*, *substantiae cogitantis* nomen significatu quidem latissimo ad omnem eam naturam spectare patimur, quae sensu seu mutationum suarum perceptione qualicunque gaudet. Strictiori autem significatu spiritus s. *mentis* nomen eam innuit naturam, quae distincta sui conscientia, distinctisque rerum conceptibus gaudet, aut potiendi certe vi praedita est.

§. 26.

Vtrum sensus atque cogitatio corpori competere possint?

Iam in hanc primum quaestionem, quae antiquitus iam mota fuit, et virorum clarissimorum dissensum adhuc excitat, inquirendum videtur, num ipsius *corporeae naturae*, in qua, quod praeter *formam* inest, *materia* dicitur, sensus adfectio esse possit? Et insignem quidem variamque corporum eorum, quae sensus nostros feriunt, mentisque cogitantis in reliquis attributis fere omnibus esse diuersitatem, nemo

insi-

inficias ire potest *a*). Ex qua tamen diuersitate omni in vniuersum corporeae naturae sensum atque cogitationem repugnare, nondum adparet.

Neque ex eo, quod quascunque in corporibus sensu experimur, aut ex his colligere possumus, mutationes in motu positas esse, neque cogitationis nobis vim rationemque exhibere, confitendum sit *b*); hanc omnino inesse non posse, satis, nostra quidem sententia, perspicitur. Praeterquam enim quod motus tantum externam aliquam adparentiam, non intimam virium, vnde proficiscitur, statum atque indolem perspectam habemus; eo, quod rationem, qua vna adfectio altera contineatur, aut cum ea coniuncta sit, non intelligamus, nondum tamen efficitur, vna in eadem re adesse non posse.

Verum ex natura cogitationis, sensus atque conscientiae qualiscunque consequens nobis esse videtur, in ente composito, qua tali, quale corpus et materia esse in confesso est, illa exsi-

ſtere omnino non poſſe. Primo enim, ſi ſimplex ſit id ipſum, quod percipitur, ſimplici non niſi ſubiecto eam perceptionem ineſſe poſſe, nemo erit, qui dubium cenſeat. Quod ſi autem illud compoſitum ſit, partibusque ſuis ſubiecti percipientis partibus ſeſe manifeſtet; nihil tunc eſſet, cui perceptio *totius* tribui poſſit; niſi in ſimplici aliqua parte partium perceptiones *colligerentur*, quo poſito, non iam compoſita, ſed ſimplex eſſet, cui ſenſus atque cogitatio competeret, ſubſtantia *c*).

Quae colligendi ratio variis, quae opponi ſolent, ſi quid videmus, neutiquam euertitur; hac autem vna difficultate maxime premitur, quod, ſimplici ſubiecto compoſiti idea quo modo ineſſe poſſit, non intelligitur *d*).

a) V. HVTCHESON. *Metaph.* p. 93 ſeq. BAXTER *Enquiry into the nature of the human Soul*, part. I.

b) V. LEIBNITII *Monadolog.* §. 17. MENDELSSOHNII *Phaedon.* p. 229 ſeqq.

c) V. PLATO *Alcib.* I. ARISTOTELES de anima, I. 3. PLOTINVS Ennead. IV.

IV. lib. VII. cap. VI. MART. KNVTZEN *Von der immateriellen Natur der Seele*, Koenigsb. 1744. REIMARVS *Nat. Religion*, p. 458. *Essai de Psychologie*, ch. XXXV seq. MENDELSSOHN l. c. p. 202 seqq. edit. pr. HVTCHESON l. c. p. 92. §. V.

d) V. ARISTOTELES l. c. Fusius qui haec omnia disputata desideret, adeat HVBART. HAYER in tract. *La spiritualité et immortalité de l'ame*, Par. 1757. 3 tom. 12. PINTO in *Precis des argumens contre les Materialistes*, edit. 2. 1776. Ex altera parte v. LOCKE B. IV. ch. III. item *Anmerkungen und Zweifel ueber die gewoehnlichen Lehrsaetze vom Wesen der Seele*, Riga 1774. 8.

§. 27.

Seu mentis humanae analogiam, seu generaliora etiam principia sequentes, non possumus non has constituere, probabiles saltem iudicare, spirituum proprietates; Spirituum proprietates quaedam.

1) Vt sine caussa aliqua s. ratione sufficiente neque velle aliquid neque iudicare mens vlla possit;

2)

2) Vt se ipsam, suamque integritatem ac felicitatem, quaeque cum ea consentire videantur, amet *).

3) Porro non nisi in substantiis cogitatione aut sensu praeditis *fines* rerum concipi possunt.

4) Neque vero etiam *initia* motus, quaeque eo perficiuntur, mutationum a caussis sensu atque cogitatione omni destitutis repeti atque deduci facile possunt **).

*) V. CICERO fin. IV.
**) V. BAXTER l. c.

§. 28.

Generum diuersitates.

His iam multo plura *spirituum genera*, quam cognita nobis sunt, exsistere, probabile sit *). Quae quibus rationibus differre possint, disquirere aliquantum etiam operae pretium est.

1) Et in *facultate* quidem *cognoscitiua* plurimae facile concipi possunt differentiae; *siue* ad ambitum spectes cognitionis idearumque varietatem, *siue* ad

ad formam earum, claritatem cognoscendique modum, qui vel symbolicus esse possit vel intuitiuus, siue ad iudicii, memoriae atque attentionis vires.

2) In *voluntate* autem similiter propensionum, appetituum atque decretorum genera, rationes, constantia atque mutabilitas, experientia etiam in nobis teste, varia admittunt discrimina.

3) Denique *vim* spiritus, qua vel suas ipsius ideas atque appetitus moderetur, vel mutationis etiam in rebus externis caussa sit, rerumque aliarum in ipsa regenda potentiam animo si quis perpendat; neque his deesse multorum discriminum fundamenta, facile intelliget **).

*) V. LOCKE B. III. ch. VI. §. 12. atque etiam *Abb.* LENGLET DU FRESNOY *Recueil des dissertations anciennes et nouvelles sur les apparitions, les visions et les songes*, 1752. 2 tom. 8.

**) V. MALLEBRANCHE liv. I. ch. V. §. 1. ch. VIII. §. 2. liv. III. sec. part. chap. I. §. 1.

§. 29.

§. 29.

An spiritui finito corpus sit necessarium.

Insignes porro ad has spirituum diuersitates aliae accedere possunt, ex *corporum*, quibus vtantur, diuersitatibus. Alia enim aliorum possunt esse organa, aliae motus leges, alia forma, alia materia; neque iis, quae ipsi experti sumus, naturae corporeae limites definire licet.

Et omni certe finito spiritui corpus esse necessarium; sine quo scilicet neque sentire aliquid et omnino cognoscere, neque efficere aliquid in mundo possit; aliqui contendunt *). Nos nihil definimus; quamquam analogia nastrae naturae eam sententiam sese commendare, non diffiteamur.

*) V. LEIBNITII Nouv. Essai, p. 171. SCHVBERT *Metaph.* §. 1365. p. 784 seqq. Nititur hoc etiam fundamento BALTH. BECKERI philosophia de *mundo fascinato.* Contradicit CRVSIVS *Metaph.* §. 372.

§. 30.

§. 36.

Animas, cum simplex sit earum natura, non, quo corpora, modo, partium concretione *oriri* posse, in aprico est. Neque adeo ex aliis, tamquam parentibus, emanare aut produci poterunt *a*). Itaque aut aeternas esse, aut e nihilo creatas, statuendum fuerit. Eas, si iam exsisterent, corporibus tamen nondum iunctas, sensu etiam destitutas esse, aliasque, ac postea, in mundo partes gerere, nihil, quod perspiciamus, absurdi habet *b*). De animarum ortu et interitu.

Neque vero partium dissolutione, vt corpora, *interire* possunt, iisque adeo caussis, quibus corpori mors paratur, facile superstites. An omnes tunc cum corpore praeteritorum memoria pereat; an nouo corpore vita denuo inchoanda sit; an somnio similior animae post mortem corporis status, huius restitutione ad perfectam vitam reuocandae; an, solutis quasi vinculis, noua post mortem illico sese exserant intimius animo addita organa,

no-

nouae vires? Num diuersis corporibus eandem aptam esse animam, ac per plura similium diuersorumue generum corpora migraturam existimemus c)? Facile ferimus ad haec omnia respondentes. Nos, et maxime quidem in his adhuc partibus metaphysicae constituti, nostram ignorantiam ingenue profiteri malumus.

a) Contrarium tamen cum veterum theologorum plurimis tueri conatur IO. FRID. BERTRAM in *bescheidene Pruefung der Meynung von Praeexistenz menschlicher Seelen*, Brem. 1741.

b) V. ENGELKENS *Gelaeuterte Vernunftgruende von der Wirklichkeit und dem Wesen der Geister*, Lips. 1744. Comp. CRVSII *Metaph.* §. 464. BOEHMII *Metaph.* §. 653.

c) V. LEIBNITII *Nouv. Ess.* pag. 192. 198 seqq.

Se-

Sectio II.

De mente perfectiſſima.

§. 31.

Ens infinitum aliquod ſ. perfectiſſimum ſi ſit: non corporeae illud naturae, omni ſenſu et intelligentia vitaque omni deſtitutum eſſe poſſe, ſed intelligentem potius naturam, ſpiritum, mentem, dubium cenſeri non poteſt. Non enim ſolum ad perfectionem alicuius naturae et praeſtantiam vita ac intelligentia recte referuntur, et maxime quidem, ſi reliqua eius naturae attributa ita ſint conſtituta, vt nihil mali inde metuendum ſit; ſed non abſolutam quidem, verum ad alios modo ſpectantem eam naturam et perfectionem dicere licet, in qua vita atque conſcientia nulla inſit. Neque vero independens, ſuaque vi aeterna, vel praeſtantiſſima machina facile

Scopus huius diſquiſitionis duplex.

esse videri potest (§. 12. 27). Et quamuis animis nostris, a quibus initia ducit omnis nostra de spiritibus doctrina, varia insint vitia, quae perfectissimam naturam neutiquam deceant *); illa tamen separari ita quidem cogitatione possunt, vt perfectae naturae intelligentis, non quidem omnibus numeris absolutum, attamen probabilem vtilemque conceptum nobis formare queamus.

Cuius conceptus, praeter eum, quem modo innuimus, in disciplinis, quibus mentis humanae emendandae et perficiendae ratio proposita est, vsus etiam aliquis negari non potest.

*) Quam obiectionem nimis aliqui vrgent. V. ROBINET in libro *de la Nature*, prem. part. chap. III. second. part. ch. XXIII - XXVI. Comp. MALLEBRANCHE liv. III. sec. part. ch. IX. §. 4.

§. 32.

Idea intellectus perfectissimi.

Menti itaque perfectissimae *summa* inest *intelligentia*; hoc est, ea, qua quae-

quaecunque vna concipi possunt, quam fieri potest, plenissime atque distinctissime semper cognoscantur. Quare

1) Cum *omnia possibilia* possint cogitari, omnium possibilium scientia menti perfectissimae tribuenda est;

2) *Futurorum* etiam *contingentium*, qua talium, si horum scientia esse omnino possit.

3) *Sensus*, *memoria*, *imaginatio*, *ratio*, *notiones generales*, et *symbolica cognitio*, menti perfectissimae proprie tribui non possunt; eatenus tamen, vt et illud, quod hisce adminiculis viribusque nobis innotescit, cognitioni entis infiniti neutiquam desit, horumque omnium, tamquam partium humanae naturae, plenissima notitia ista omnium, quae sunt atque esse possunt, scientia contineatur.

4) Omnia *vno actu* et *vno* quasi *intuitu* ab intellectu perfectissimo cognosci, tum demum contendi posset; quando omnium, quorum cognitione

ad summam intelligentiam aliquid accedere potest, plenissimam certissimamque inde ab aeterno cognitionem omnino possibilem esse, euictum fuerit. Quae nimis ambigua et vtrimque implicata disputatio nobis videtur.

§. 33.

Vis creatrix atque omnipotentia.

Intellectus infiniti ea si ponatur esse perfectio, vt, quaecunque esse et vna consistere possunt, *plane vti sunt*, concipiat sibique repraesentet; forsitan ad intellectum infinitum pertinere *vis* ipsa *creatrix* videri potest, adeo vt non *essentiarum* modo *fons*, quod alii praecepere, sed *exsistendi* etiam *principium* sit. Sed quidquid de hoc nexu videatur; vim aliquid procreandi, immo summam, h. e. cunctis, quae fieri omnino possunt, rebus efficiendis sufficientem *potentiam*, infinito enti tribuendam esse, omnes facile consentiunt. Ea certe ratio, quae sine actione beatitatem locum habere posse negat, alteri illi, quae quasi in summa inertia summam beatitatem ponit,

nit, longe praeferenda est; quamquam in vtraque cauendum est, ne legem nostrae naturae nimis generalem faciamus. Illud etiam in explicanda infinitae potentiae notione vbique perpendendum est, et possibilia multa, quae non sunt, et impossibilia alia perperam nobis, quae est ignorantia nostra, videri posse.

§. 34.

Voluntas mentis perfectissimae.

Bonum adpetere voluntati laudi ducitur, vitio vertitur contrarium. *Perfecta* igitur ea dicenda est *voluntas*, quae non nisi bonum adpetit, idque pro gradu bonitatis, ac constanter. Quae itaque nullum bonum potest non adpetere, nisi cum minus obstet maiori; neque malum vllum, nisi quando ab eo, quod optimum est, separari nequit. Quamquam malum sequi aut diligere neque tunc ita constituta mens potest dici, sed admittere tantum aut permittere. Et sibi ipsi quidem quod bonum sit, h. e. omni respectu aptum naturaeque suae con-

ueniens vt sequatur, mentis infinitae summa intelligentia omnino effici, non est cur dubitemus. Iis autem desideriis, cupiditatibus et auersationibus, quibus mens humana saepissime perturbatur, mentem perfectissimam agitari; neque intellectus patitur ratio, neque sufficientia infinitae naturae ac independentia.

§. 35.

Sapientia, beatitudo ac libertas.

Haec ipsa quoque *sapientissimam* mentem infinitam esse declarant atque *beatissimam*. At vero etiam summam eius esse *libertatem;* siquidem neque prauis cupiditatibus, neque alia vi vlla impeditur, quominus sapientissimis decretis suis pareat; quae nisi libertas est, ad perfectissimam naturam nulla attinet.

§. 36.

Beneuolentia.

Neque vero sua tantum sequi commoda suaque oblectamenta, nullo ad aliorum, quam nouerit, felicem aut infelicem conditionem habito respectu, per-

perfectissima mens censeri potest. Summa potius eius esse debet *beneuolentia*; si quidquam constituere valet intellectus noster. Namque

1) Quae aliorum delectetur infelicitate, aut ad felicitatem aliorum, quantum potest, non conferat, naturam tanquam optimam et perfectissimam diligere aut venerari, credo, si intimos animi sensus exploret, nemo potest. Summo autem amore cultuque nostro dignam esse naturam perfectissimam, facile conceditur.

2) Infelicitatis, earumque, ex quibus oritur, caussarum, dissensus, peruersitatis, erroris, per se gratam nulli menti cogitationem esse, generatim videtur posse constitui; quamquam, quae est nostra imbecillitas atque etiam ignorantia, nobis quidem aliorum infelicitas vtilis aliquando videri, et grata accidere possit. Perfectissimae itaque menti aliorum infelicitas per se certe grata esse non potest.

3) Si summa sit naturae perfectissimae potentia, neque ipsa egeat re vlla; cur non omnia, quae potest, bona aliis tribuat, atque ad felicitatem vniuscuiusque entis, quod potest, conferat, intelligi omnino nequit.

§. 37.

Iustitia distributiua.

At vero, si ea sit felicitatis entium quorundam ratio, vt summae, quae quidem concipi possit, beatitatis aut sua natura non sint capacia, vel nunquam vel non statim; aut singulis detrahendum sit, quo omnium felicissima possit esse conditio; tunc profecto summae beneuolentiae, et, quae ipsi coniuncta est, sapientiae contrarium foret, bona, quae elargiri libere potest, aliter quam eo, quo singulorum ad summam perpetuamque omnium optime dirigit temperatque felicitatem, modo distribuere. Atque haec sapientia temperata bonitas aut beneuolentia *iustitia* recte dici potest, ea certe, quae *distributiuae* proprio nomine distinguitur *).

*)

*) V. LEIBNITII Opp. tom. IV. part. III. p. 261. Quod si quis fundamenti loco eum statim de *iustitia* conceptum ponere velit, quo constans legum obseruantia declaratur, vel eum, quo cuique suum tribuere dicitur; cauendum est, ne eas immisceat leges, eaque iura, quae pactis, aut perfectis officiis aliunde impositis, aut communione naturae atque aequalitate nituntur.

§. 38.

Ex quo consequens est, vt eius etiam iustitiae, quam *remuneratiuam* dicunt atque *punitiuam*, leges mens perfectissima sequatur; quae eo redeunt, vt in distribuendis bonis malisque *meritorum* ratio habeatur, h. e. eius respectus, in quo actiones atque consilia alicuius sunt ad communem salutem. His enim consentaneum est, Remuneratiua atque punitiua.

1) Vt praeter ea, quae ex rerum natura atque essentia *necessario* fluunt, *praemiis* etiam *ex arbitrio*, id est libere *constitutis*, virtus commendetur; *si* fines summae sapientissimaeque bonitatis id requirant;

2) Malis vero non solum haec incitamenta non proponantur, sed *poenis* etiam *libere constitutis*, *si naturales* istae atque *necessariae* non sufficiant, a sceleribus, quibus vel sibi vel aliis nocent, deterreantur.

3) Neque vero eae solum poenae iustitiae huic ex infinita bonitate emananti consentaneae sunt, quibus *emendatio* puniti, lenioribus remediis non obtinenda, efficitur; sed eae etiam, quibus aliorum salus a scelerum pernicie tuenda est.

§. 39.

Aequitas. Quibus tamen cunctis *aequitas* etiam videtur inesse debere, i. e. *singulis*, quatenus a culpa liberi sunt, aeque bene cupiens, nulli immerito inimica voluntas. Quod non in eum quidem sensum trahendum esse existimamus, quasi non maiorem aliis, aliis minorem felicitatem parare, cum nulli aliquid debeat, libere omnia faciat optima mens, possit; maxime cum varias

eius-

eiusmodi conditiones postulet summa rerum omnium perfectio, bonique plus quam mali contineat libere constituta sors vniuscuiusque. At vero numne hoc permittere aequitatis ac iustitiae leges videri possunt,

1) Vt quod *naturali rerum constitutione* atque ordine ad aliquem pertineret, huic detrahatur, hac vnice caussa, vt ad alterius cuiuspiam felicitatem accedat, quantum alteri detrahitur?

2) Vt pernicies alicui et miseria *paretur* aliorum commodis inseruiendi caussa?

3) Num itaque optimae mentis *consilio et libero decreto* in vita constitutus aliquis esse possit, cuius, *vel* ineuitabili necessitate, *vel* sua etiam culpa, hanc *praeuidit* fore sortem, vt mali plus quam boni persentiscat, *omnemque* adeo exsistentiam suam infortunium recte censere possit *)?

*) Meditationi proponenda haec mihi visa sunt. Ceterum is ego minime sum,

fum, qui fummae fapientiae leges fcribere aufim; aut aliorum fenfui repugnare valde cupiam.

§. 40.

Num quaepiam adhuc iuftitia vindicatiua?

Numne id ferat poftuletque perfectiffimae iuftitiae ratio, vt *vnumquodque delictum* puniatur, etiamfi neque ad emendationem delinquentis, neque ad falutem aliorum, ea poena neceffaria fit? Sunt, qui ita cenfeant viri grauiffimi *). Nobis tamen fatis firmae eorum rationes non videntur; neque omnino hoc a nobis impetrare poffumus, vt alicui infligi malum ab optima mente exiftimemus, quando non maius aliquod malum hoc impediatur. Poenae ftricto fignificatu naturales, i. e. phyfice neceffariae, ad hanc difputationem plane non pertinent. Neque adeo iis rationibus affentiri poffumus, quibus *infinitas*, aut *aeternas* effe debere, quas perfectiffima iuftitia conftituit, poenas aliqui efficere fatagunt **).

*)

*) V. LEIBNITZ *Theodic.* I. §. 73. SMITH *Theory of moral sentiments,* p. 157.

**) V. SCHVBERT *Metaphys.* §. 1180-90. CRVSIVS *Metaphys.* §. 299.

§. 41.

Neque *sanctitas* mentis perfectissimae, quod puram atque ab omni prauitate abhorrentem nomen declarat, *nouum* vindictae, quae, praeter naturales, poenas alias infligat, fundamentum recte constitui posse videtur. Neque enim odium vitiorum personae, odium in sapiente fit; neque sui caussa alteri malum inferre, perfectissimae naturae conueniens duci potest. Quae itaque a sanctitate summi numinis oriri possunt poenae, vel naturales esse eaeque *priuatiuae*, vel iis, quae ipsa sapientissima bonitate necessariae fiunt, contentae esse videntur. Sanctitas.

§. 42.

Si *praesens* ibi aliquis dicendus est, vbi et, quid geratur, percipere, aliisque Omnipraesentiae notio.

que se manifestare possit; omnibus rebus praesentem dicere oportet spiritum infinitum; quandoquidem et omnia perfectissime nosse, et efficere omnia posse, iam fuerit constitutum. Eam vero omnipraesentiae rationem, qua infinitum aliquod spatium substantia sua replere, ens aliquod simplex, idemque vbique totum adesse declaratur, concipere nos non posse, fatemur. Neque mirum hoc nobis videtur, quum omnis ista ratio ad *typum sensitiuae perceptionis* nimium quantum spectet; ad quam rerum inuisibilium notiones referri non debebant.

SE-

Sectio III.

De animabus brutorum.

§. 43.

Brutis an vere insint animae?

Animas brutis qui inesse dicit, *grati ingratique sensum* certe aliquem *parti* cuidam ipsorum inesse, eoque sensu adpetitiones actionesque aliquas eorum spontaneas nasci regique, contendat necesse est. Qui negat, meraque corpora, machinasque ea declarat esse, si re ipsa non verbis modo discedere velit, eo debet caussam adducere, vt nullum eiusmodi sensum ipsis inesse, probabile fiat. Atque eo etiam negantium argumenta quaedam spectant *). Quae vero longius omnia petita sunt; neque iis sufficiunt momentis, quibus contraria se tuetur sententia. Nimirum

1) Cum tanta sit hominum aliorumque animalium in corporibus horumque ad sensum compositis organis simi-

ſimilitudo; maxime naturalis nullique facile rationi cedens ea coniectura eſt, quae ſenſu quaedam percipere ſenſuque moueri animalia ſtatuat.

2) Id quod maximopere etiam confirmatur iis vocibus actionibusque quamplurimis, quas, vitae ſenſusque in hominibus ſigna notiſſima, alii cauſſae cur in brutis tribuamus, nulla probabili ratione efficitur.

3) Denique nec ea cogitatio ab hac diſputatione aliena, aut optimis aduerſariorum argumentis inferior eſt, fines, propter quos tot animalium genera, immo vero fruges etiam et herbae iis inſeruientes a ſapientiſſimo rerum omnium auctore conditae cenſeri queant, maximam partem euaneſcere **).

*) V. BAYLE Dict. art. *Pereira.* CARTESIVS *de paſſionib.* part. I. art. L. *Epiſt.* part. I. ep. CV. MALLEBRANCHE liv. III. part. II. ch. 6. BVFFON *Hiſt. nat.* tom. II. edit. gall. 4. der deutſchen Ueberſetz. 8. 7ter Theil der allgem. Naturgeſch. IOANNET in tract. *les betes mieux connues*, Par. 1770. CARLO PARONI in lib. *Anima delle beſtie impugnata.*

**)

*§) V. G. FR. MEIERS *Versuch eines neuen Lehrgebaeudes von den Seelen der Thiere*, edit. 2. 1750. §. 10-22. REIMARVS *Von den Trieben der Thiere*, §. 109.

§. 44.

His initiis ducti non *sensus* modo variosque inde nascentes *appetitus* atque *auersationes*, sed *imaginationem* etiam rerumque praeteritarum aliquam *memoriam*, aliquem etiam repetitione atque exercitio effectum rerum nexui respondentem *idearum ordinem* ac *processum*, denique *attentionem* in variis animalium generibus inesse, facile nobis persuademus. Quin diversa etiam *studia* ac *propensiones*, *spem*, *metumque*, et alia, quae his principiis facile oriri posse intelligimus, brutis vere inesse, experientia satis evincit *a*). Vtrum ratione vtantur.

At vero *ratione* etiam uti, immo melius fortasse hominibus ipsis, quaedam animalia, sibi aliisue persuadere nonnulli conati sunt *b*). Et argumenta hi quidem petere solent *cum* a *naturali-*

bus, iisque *vel* in omni genere, *vel* in quibusdam indiuiduis pro rerum circumſtantium varietate varie ſeſe exſerentibus, et maxime admirandis, artificiis, intelligentiae adeo et prudentiae documentis; *tum* ab iis etiam artibus, in quibus inſtitui atque erudiri, ſingulari nonnunquam non ſolum docilitate verum etiam ſagacitate, videmus.

Quibus argumentis etiamſi ita reſpondere, vt ſingulorum, quae occurrunt, certa ac perſpicua ratio reddatur, perdifficile fuerit; attamen plurima ſunt, quae animalia iſta ratione uti, h. e. diſtinctis rerum notionibus, quarum ope a ſingularibus ad vniuerſalia, ab his iterum ad ea cogitando procedant, generales ſibi fines, generalesque rerum characteres conſtituant, quibus ſenſui etiam nondum patefacta plurima perſpiciant, credere nos non patiuntur. Primum enim lingua carent, ſeu *ſignorum* vſu eo, cui nos debere, quos modo deſcripſimus, inſignes cognitionis progreſſus, negari non poteſt;

quo

quo neque carere posse, si similis inesset iis intelligentia, neque, si iisdem, quibus homines, praedita essent animi viribus, diu caritura esse animalia bruta, probabile est. Deinde cum intelligentia eiusmodi, qualis tribuenda ipsis foret, tot stupiditatis documenta difficile est conciliare. Denique in maxime admirandis operibus animalium plura occurrunt, quae diuersam ab humanis artibus indolem, diuersasque caussas satis manifesto arguant.

Iam si ad aliquas hominum actiones animum aduertimus, quas vel naturali, vel sensuum perceptionibus idearumque singularium adsociationibus parato, instinctu ducti, vel sua sponte vel alios imitati, certe absque distincta cogitatione et intelligentia, edunt grauissimis finibus apte respondentes; his potius, quam iis, in quibus rationis continetur vsus, similia esse actionum, quas in brutis miramur, principia, admodum fit probabile. Atque si vel praecellant homines ipsos in

aliquibus, vel comprehendi quaedam a nobis plane non possint; considerandum modo est, in iis etiam, quae natura duce agimus, multa inesse; quorum modum atque rationem intelligentia nostra non adsequimur; brutis vero indita quaedam esse posse, quorum, cum nihil nobis satis simile sensu innotescat, indolem concipere non possumus; denique vero sensuum acumen, quo animalia quaedam novimus gaudere, atque ipse etiam arctior cognitionis, intra quem continentur, orbis, in caussa esse possunt, cur adeo apte ac praeclare quaedam peragant *c*).

a) V. G. FR. MEIER l. c. §. 23 seqq.

b) V. BAYLE art. *Rorarius*, huiusque RORARII tract. *Quod animalia bruta saepe ratione melius vtantur homine;* edit. auctusque *dissert. historico-philosophica de anima brutorum* a G. H. RIBOVIO. Helmst. 1728.

c) V. REIMARVS l. c. cap. 10. comp. BOUILLER *Essai philosophique sur l'ame des Bêtes*, edit. 2. 1737. *Briefe ueber die Thiere und den Menschen.* 1775.

§. 45.

§. 45.

Ambigua tamen adhuc haec quaestio remanet, vtrum corporis organorum, quibus sensus motusque iis consequentes peraguntur, aptitudini, an animae potius, *cum* naturalia diuersorum animalium artificia, *tum* praerogatiuae humani intellectus debeantur? Et vtrimque quidem quaestio ad obscurissima psychologiae loca spectat. Iis tamen, qui non nisi corpore ab animalibus brutis homines differre autumant *a*), plura opponi possunt haud exigui ponderis argumenta; maxime cum externorum organorum, manuum, aliorumque externorum adminiculorum momenta adeo euehunt *b*). Quousque vero pertendere omnino possit virium earum, quibus brutorum animae gaudent, cultura; nostrum haud est definire *c*).

Vtrum homines corpore tantum differant a brutis?

a) V. BAYLE art. *Rorarius* not. e). HELVETIUS de l'Esprit, disc. I. ch. I.

b) V. MOSCATI *Von dem Unterschiede zwischen der Structur der Menschen und der Thiere.*

c) V. MEIER l. c. §. 64 seqq.

§. 46.

Brutorum animae vtrum simplices?

Sentientes quidem in animalibus brutis esse certi generis partes principiorum communione coniunctas, indeque nasci varias cum voluptate taedioque coniunctas eorum actiones; at animam hanc proprie non esse, vel si sit, non, qualis nostra, simplicis naturae mentem, sed *materiam;* et olim multorum fuit sententia, et adhuc quorundam est *). Etsi vero in perfectiore cogitatione atque conscientia, qualis menti nostrae competit, in primis conspicua esse possit vis eius argumenti, quo simplicis naturae has tantum esse posse affectiones, ostendere supra (§. 26) conati sumus; attamen eadem haec ad infimum cognitionis atque conscientiae gradum vsque se extendere nobis videtur. Omnino si pluribus particulis sensum inesse dicamus, semper plura erunt sentientia subiecta; neque magis fieri potest, vt *fortior*, quam vt *clarior* aut *plenior* in toto aliquo exsistat perceptio, nisi partium perceptiones, qualescunque istae sint,

ſint, alicubi vniantur. Quodque hic in primis vrgeri ſolet dubium, ab animalium quorundam partibus, quibus ſeparatis etiam diſſecatisque vita atque ſenſus aut ineſſe videntur, aut vere inſint, ductum, ita reſolvi poteſt, vt neque ad quaeſtionem hanc, ab altera parte adeo confirmatam, in medio relinquendam, ſufficiens nobis videatur **).

**) V. REIMARVS §. 112. PARDIES *Diſcours de la connoiſſance des bêtes*, 1690. 12.

**) V. REIMARVS §. 123.

CAPVT III.

Cosmologia s. de rerum vniuersitate eiusque rationibus generalissimis.

SECTIO I.

De nexu omnium rerum, visibilium, inuisibiliumque, quo mundum vnum constituant.

§. 47.

De nexu cosmico quid experientia constet?

Mundi nomen si omnem rerum vniuersitatem, omnia naturae regna complectatur; ad ea, in quorum rationes Metaphysica inquirit, mundum tum quidem pertinere, ex eo, cui nos addiximus, Metaphysicae conceptu (§. 1) facile intelligitur. Et primo quidem loco de iis dispiciendum est rationibus, quae, vt cuncta, quasi vnius rei partes, vnum aliquod systema constituentia consideremus, efficiunt. Ad quod non iam id sufficere potest, quod ordine

dine qualicunque res vniuerſae extra ſe inuicem poſitae ſint, aut ſibi ſuccedant. Inde potius hoc iudicium exſiſtit, quod vna res alia determinetur, id eſt, ratio reddi poſſit alterius rei ex altera; atque ex hac ratione, quid ſit, quidque futurum ſit, ſaepe colligi. Et huius quidem rationis, *nexus* que adeo, quem dicunt, *coſmici* generaliſſima capita et momenta potiora enarrare, huius omnino loci eſt. Experientia itaque rectaque colligendi methodo conſtat,

1) Magna mundi corpora, ſidera, et inter ſe, et cum terra noſtra, hoc in nexu verſari.

2) Animorum autem cum iisdem nexus *et* ipſa eorum notitia, *et* iis, quae corporibus, quibus animae vtuntur, iſtorum viribus accidunt, efficitur.

3) Et nos quidem huius terreſtris globi incolae eam in mutanda ipſius facie ac conſtitutione vim exſerimus, cuius effectus ad alios orbes extendere ſeſe poſſe, haud prorſus temere coniicitur.

4) Homines porro inter se tot modis connexi sunt, vt, quae singulos homines nexu aliquo coniunctos esse affirmet, opinio ad experientiam ipsam propius accedere videatur, quam quae neget. Primo enim continuo materiae fluxu, cuius pars humana quoque corpora sunt, iungi miscerique genus humanum adparet. Altera non aeque communis, at late tamen patens connexio ea est, quae ex communicatione idearum, lectione atque institutione cuiuscunque generis, exsistit. Neque parvi momenti ea est, quae fortuita idearum consociatione potest oriri. Denique, quae operarum permutatione et commerciorum adminiculo locum obtinet, hominum communio pluris etiam, ac vulgo fit, aestimanda est *).

5) Horumque omnium vis quo magis perspiciatur, quam exigua saepe sint maximarum rerum principia, studiose perpendendum est; id quod quamplurimis historiae naturalis, politicae et litterariae documentis patet **).

*)

*) V. SMITH *Von den Nationalreichthümern*, B. I. Cap. I.

**) V. *Essai sur les grands evenements par les petites causes*, Amst. 1758. In omni vero hoc argumento consulendus BONNET in *Contemplation de la Nature*, *vers. germ.* edit. 2. 1772.

§. 48.

Eiusdem argumenta quaedam a priori.

Non vero his solum ab ipsa experientia petitis, sed aliis ex ideis aut generalissimis quibusdam cognitionis nostrae principiis deductis, argumentis nexum hunc cosmicum probare, eiusque fines explicare aliqui contendunt. Totius nempe alicuius partes non nisi eas res dici posse, quarum vnaquaeque certo modo determinetur alia quacunque; deinde axioma illud generalissimum, quod caussis omnia fieri, atque actionem non magis sine effectu, quam effectum sine caussa esse constituit, hanc etiam continere legem, vt alius sit effectus, si alio modo caussa fuerit comparata. Itaque in effectuum caussarumque consecutione, minima etiam in caussis remotissimis mutatione, aliquid in effe-

4) Homines porro inter se tot modis connexi sunt, vt, quae singulos homines nexu aliquo coniunctos esse affirmet, opinio ad experientiam ipsam propius accedere videatur, quam quae neget. Primo enim continuo materiae fluxu, cuius pars humana quoque corpora sunt, iungi miscerique genus humanum adparet. Altera non aeque communis, at late tamen patens connexio ea est, quae ex communicatione idearum, lectione atque institutione cuiuscunque generis, exsistit. Neque parvi momenti ea est, quae fortuita idearum consociatione potest oriri. Denique, quae operarum permutatione et commerciorum adminiculo locum obtinet, hominum communio pluris etiam, ac vulgo fit, aestimanda est *).

5) Horumque omnium vis quo magis perspiciatur, quam exigua saepe sint maximarum rerum principia, studiose perpendendum est; id quod quamplurimis historiae naturalis, politicae et litterariae documentis patet **).

*)

*) V. SMITH *Von den Nationalreichthümern*, B. I. Cap. I.

**) V. *Essai sur les grands evenements par les petites causes*, Amst. 1758. In omni vero hoc argumento consulendus BONNET in *Contemplation de la Nature, vers. germ.* edit. 2. 1772.

§. 48.

Eiusdem argumenta quaedam a priori.

Non vero his solum ab ipsa experientia petitis, sed aliis ex ideis aut generalissimis quibusdam cognitionis nostrae principiis deductis, argumentis nexum hunc cosmicum probare, eiusque fines explicare aliqui contendunt. Totius nempe alicuius partes non nisi eas res dici posse, quarum vnaquaeque certo modo determinetur alia quacunque; deinde axioma illud generalissimum, quod caussis omnia fieri, atque actionem non magis sine effectu, quam effectum sine caussa esse constituit, hanc etiam continere legem, vt alius sit effectus, si alio modo caussa fuerit comparata. Itaque in effectuum caussarumque consecutione, minima etiam in caussis remotissimis mutatione, aliquid in effe-

effectu vltimo necessario mutari. Quumque euentuum singulorum a rebus proxime circumstantibus aut antecedentibus dependentia in confesso sit; confitendum etiam esse, vnamquamque in aliqua mundi parte mutationem in omnibus eius partibus aliquo modo se exserere; porro, si quidquam in mundo aliter esse debebat, singula debuisse aliter constituta aut futura esse; ideoque in *hoc* mundo fieri nihil posse, nisi quod factum aut futurum sit *).

Verum enimuero in primo quidem argumento supponi videtur, quod probandum adhuc fuerit, omnes res, rigorosa nempe hac significatione, mundi vnius partes habendas esse. Et nisi similis de nexu partium, quibus totum aliquod constituatur, conceptus, qui in lite adhuc versatur, supponitur; non video etiam, quomodo alterum argumentum procedere, quaque ratione concludi possit, hominem, e. g. si aliqua corporis parte quantumuis patitur, ita affici, vt nulli non particu-

lae,

lae, nulli non ex ideis suis, mutatio quaepiam accidat; et propterea partium earum omnium actiones etiam aliter futuras esse. Quumque experientia manifestum satis sit, mutationem, quae alicubi excitata fuit, quo magis a principio suo distet, ita plerumque debilitari atque minui, vt vix ac ne vix quidem vlterius conspicua sit; nonne effectum eum tandem nullum prorsus futurum esse, quam vsque duraturum, potius concludendum fuerit? Id quidem largimur, qui nobis non amplius manifestus sit, magna tamen adhuc vi persistere effectum posse. At vbi, quod esse in genere possit, nulla certa ratione confirmatur, illud potius sumendum est, quod ad experientiam propius accedit.

*) V. LEIBNITII *Principia philosophiae* §. 62. Opp. tom. II. p. 27. WOLFII *Metaph. german.* §. 567 seq.

§. 49.

His vero de nexu omnium rerum euentuumque placitis varias de *fato* opi- **Fatum.**

opiniones nasci, atque animorum libertatem in discrimen constitui posse, facile intelligitur. Et illud quidem tot tamque diuersis persuasionibus commune nomen est; vt in eo adhibendo caute versandum, eoque plane potius abstinendum, in altera per se iam satis perplexa disputatione, videatur. Fatum enim cum in genere necessitatem eorum, quae in mundo eueniunt, innuat; eo ergo nomine haec primum notata est impia atque insana opinio, quae absoluta necessitate, nulla praeeunte aut moderante caussa intelligente, mundum constitutum esse sumit; *fatum coecum, atheisticum.* Altera non multo probabilior haec occurrit persuasio, omnia, aut saltem ea, quae in vita humana grauissima censentur. caussis externis ita necessaria esse, vt nulla consiliorum ratione, nulla prudentia animique intentione euitari impediriue possint; quod *Turcicum fatum* subinde, rectius *ignaua ratio* (*Cicero* de fato, cap. 12. 13.) dicitur. Quando haec caussarum externarum in vitam,

tam, fortunam moresque hominum vis in *astris* potissimum quaeritur; *fatum* est illud *astrologicum.* A quibus omnibus ea valde differt doctrina, quae omnia quidem necessario euenire, verum caussis mediis, quarum magna pars humanis consiliis regitur, simulque omnia a caussa aliqua suprema intelligente pendere statuit; quod *fatum* adpellant *rationale* recentiores; quorsumque *Stoicorum* etiam de fato decreta pertinent.

§. 50.

Hanc fati scyllam euitaturi, vel eadem etiam ignorantia atque leuitate, cui quaedam de fatali necessitate persuasiones debentur, ducti, in oppositam *casus* charybdin incauti plerumque incidunt. Verum hoc quoque nomen diuersissimis conceptibus commune est. Neutiquam vero pari loco habendas esse has opiniones, quamquam communi casus nomine interdum venientes, quarum altera vi interna aliquid euenisse, altera in consiliis et praeuisis Casus.

ſis fuiſſe, tertia cauſſis externis plane effectum eſſe, quarta cauſſis legibusque conſtantibus nobisque cognitis aliquid fieri, negat, eamque *Epicuri*, quae ſine omni cauſſa fieri quidquam poſſe patitur; haud valde obſcurum eſt.

§. 51.

De animorum libertate ex rationibus generalibus.

Quae ſi iam ad *animos* transferatur diſputatio, primum quidem, quaenam in dubium vocetur horum *libertas*, accurate tenendum eſt. Non enim de ea iam ſermo vllus eſt libertate *naturali*, quam legibus humanis iuſte iniuſteque minui, et interdum plane tolli, ſatis conſtat; neque de ea, quae *ſapientis* eſt, prauis animi motibus non parentis. Neque vero id dubium conſtitui poteſt, vtrum, quae *ex arbitrio* agit homo, ita ſint in eius poteſtate, vt faciatne aut non, ab eius voluntate, propriisque iudiciis, decretis, aut in vniuerſum viſis *proxime* pendeat; hoc enim ſenſu atque experientia manifeſtum eſt.

Verum

Verum illud quaeritur, num ea, quae ex arbitrio conftituit anima, num ipfa voluntas, atque omnia iudicia, decreta, finguli animi motus, fingulaeque exinde proficifcentes actiones *cauffis externis* et antecedentibus *ita* praeparentur atque definiantur, vt, pofitis his cauffis, aliter euenire non poffint, ficque nullius rei cauffa vere vltima in natura ita limitata reperiatur.

Quae quaeftio ita etiam ftatim circumfcribi poteft, vt *quorundam*, quae in animo confequuntur, cauffam perfectam in rebus externis circumftantibus aut antecedentibus effe, concedatur; *quaedam* vero *metaphyfico* hoc vocis *fignificatu libera* effe, contendatur. Atque ad eiusmodi libertatem animo vindicandam duplex via atque ratio iniri poteft; fiquidem *vel* ipfam animorum vim atque effentiam cauffa aliqua externa primitus conftitutam effe, *vel* quae confequuntur, cauffis antecedentibus, et circumftantibus omnia perfecte definiri, atque prouti con-

ſequuntur, neceſſaria fuiſſe, negetur.

Et huic quidem vltimae rationi eorum, quae cuncta neceſſario fieri dicunt, argumenta maxime oppoſita ſunt. Nempe

1) *Nihil* ſine cauſſa fieri; neque rem vllam, neque rei adiunctum quidpiam. Quod autem cauſſa fiat, poſita hac cauſſa, neceſſario fieri.

2) Si quidquam caſu, h. e, ſine omni cauſſa fieri poſſit; tunc nihil obſtare, quo minus et alia, mundumque ipſum ſine cauſſa exſtitiſſe, aliquis exiſtimet.

3) Quae a cauſſis non perfecte pendeant; neque certo futura eſſe aut praeuideri ratione vlla poſſe.

4) Itaque niſi cauſſis antecedentibus aut externe accedentibus omnia in animo conſtituerentur; ſiue de ſua, ſiue de alterius honeſtate neminem certum eſſe poſſe, neque vero prae-

ce-

ceptorum consiliorumue vllam esse securitatem, neque validum virtutis fundamentum.

Ad quae argumenta aduersarii haec reponunt.

1) Nihil neque ipsorum sententia fieri sine caussa; voluntatis modo caussas non esse externas et antecedentes; motum voluntarium eam naturam in se ipso continere, vt sit in nostra potestate; eius ergo rei caussam ipsam naturam esse animorum. *a*)

2) Itaque hoc ipso iam refelli alterum argumentum; et propterea etiam frustra esse, quod diuersa ista de caussis decreta nostra principiis suis non adeo connexa sint.

3) Ad tertium illud in diuersas partes discedunt libertatis defensores. Certo quidem futura esse, quaecunque futura sunt, plurimi volunt; *Epicurus* ne hoc quidem *b*). Praeuideri autem ea non posse, quorum caussae non ita continerentur, vt ea fieri necesse sit,

cum *Epicuro* et *Carneade* permulti largiuntur. Alii nobis quidem rationem non patere, qua futura possint praeuideri, quae non sint necessaria; ea propter tamen praeuisionem hanc non omnino posse negari, existimant. *c*)

4) Quarta denique difficultate ita se liberant, vt vel omnes voluntatis motus caussis suis reddi necessarios, *assensiones* vero in nostra potestate esse, dicant; vel *quarundam*, quibus voluntas regitur, caussarum, non vero omnium, certam esse vim atque potestatem, praecipiant. *d*)

Ita, sua quidem, non aeque aduersariorum, neque, si verum fatendum, nostra omnino sententia, obiectionibus expediti, his propius instant argumentis.

1) Si nihil sit in nostra potestate; nec laudationes *iustas* esse, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia. *e*)

2) Certe meritum non esse virtutis vitiorumque culpam, sed haec quoque fortunae plane deberi.

3)

3) Vel si prouidentiam potius caussam dicere velimus; omnia itaque ad Deum vnice referenda esse tamquam auctorem.

4) Terribile bonis mentibus, pestiferum societati, malis solis gratum hoc dogma esse posse.

At magnam in his obiectionibus obtinere idearum confusionem; et in iudiciis quidem humanis fatali necessitate nihil plane immutari, quod communis salutis intersit; iustitiae vero etiam diuinae illi, quae sapientia ac benevolentia nititur, locum omnino relinqui; et omnino legitima quidem consequentia nihil inde, quo peterreantur probi, laetenturque improbi, colligi posse, multi hactenus celeberrimi viri euictum praestiterunt. *f*)

a) V. CICERO *de fato* cap. 11. CRVSII *Metaphys.* §. 82. seq. 449. seq.

b) V. CICERO l. c. cap. 16.

c) V. CICERO l. c. cap. 14. CRVSIVS §. 271. seqq.

d) V. CICERO l. c. cap. 17. comp. CRVSIVS §. 451.

e) CICERO l. c.

f) V. LEIBNITII *Theodic.* lib. I. §. 67. seqq. comp. §. 75. BASEDOW *Philalethie* I. §. 52 - 71. HARTLEY'S *Betrachtungen ueber den Menschen*, Th. I. S. 189 - 263.

§. 52.

Ex sensu interno.

Quod si iam ad *sensum internum* reuocetur haec quaestio, quorsum statim, quando ad humanam naturam spectabat, transferenda videri poterat; neque tamen hic res ita plana atque expedita est.

1) Alii enim vtique hoc, quod ad libertatis notionem requirunt, experiri in semet ipsis sibi videntur; *vel* absque omni caussa mouente externa motum in voluntate et decretum nasci posse, externis etiam rerum rationibus menti contrarium suadentibus; *vel* non eam certe idearum, a quibus nunquam non pendeant voluntatis motus, vim esse, vt iis, tamquam perfectis caussis, vnice decreta atque actiones nostrae tribui possint,

2)

2) Alii contra, *vel* esse quidem hunc a natura sensum, at fallacem, neque eo, sed rationis iudicio standum esse *a*); *vel* non a sensu eam esse persuasionem, verum a iudicii praecipitantia, non animaduersis, quae intercederent, motumque et decretum determinarent, ideis omnibus *b*).

Et hoc quidem posterius iudicium curatiori experientiae vsu niti omnino videtur; modo ita restringatur, vt ea, quibus voluntas cedit, momenta, plane vti in *hac* mente iam sunt, et ad *hanc* voluntatem relata intelligantur. Vnde perspicitur, caussam motuum atque actionum mentis alicuius humanae, in statu eius antecedente, adeoque etiam in natura huius mentis, qualis primitus fuerat constituta, ex parte quaerendam esse. Ex quo porro consequens est, nisi de origine animorum et omnium omnino virium primitiuarum antea conuenerit; hanc etiam de libertate litem non plane dirimi posse.

a) Ita HOME in *Versuchen ueber die Gruende etc.* Vers. III; quam vero sen-

tentiam ipse postea retraxit in *Versuchen ueber die Geschichte der Menschheit.*

b) V. BASEDOW et reliqui ibidem adducti.

§. 53.

Corolleria quaedam.

Ita rationibus, quibus in hac caussa agitur, agendumque est, ingenue expositis, nostro quidem iudicio vltra non opus foret. Ne tamen quidquam omittamus, quod vsui hic esse possit; quae ex crebra argumenti pertractatione maxime elucescere nobis videbantur, indicabimus.

1) Rem multo esse altioris indaginis, ac plurimi, qui ad eam accedunt et sententiam dicunt, perspicere videntur;

2) Neutiquam vero eius momenti in doctrina morali et theologia naturali, ac plerique *caussarum perfectarum*, s. *rationum perfecte determinantium* aduersarii sibi persuadent;

3) Attamen et propter principiorum quorundam obscuritatem, et propter

pter ingeniorum quorundam leuitatem atque *ἀπαιδευσιαν*, in proponendo isto *perfectae necessitatis* dogmate, caute et modeste versandum esse;

4) Facile accidere posse, vt, qui verbis acriter hic pugnent, re ipsa satis consentiant.

§. 54.

Quae de nexu eorum, quae in mundo fiunt, hactenus tradita sunt, de iis tantum euentibus, qui *naturales* sint, intelligenda esse; et initia huius doctrinae ostendunt, et diserte etiam plerumque monetur. Quod vt rectius perspiciatur; eius, quod in mundo naturale est, quodque opponitur huic, miraculi notio distincte exponenda est. Sicuti ergo *in vnoquoque ente naturale* illud est, quod ex viribus eius earumque nexu consequitur, vel nulla plane virium externarum ope, vel generali tantum, non peculiari aliquo earum concursu; ita eos in mundo euentus naturales dicere par est, quorum caussae in

De eo quod naturale sit in mundo et miraculum.

mundi ipsius viribus earumque nexu continentur, nullo, vel tantum generali, entis a mundo diuersi concursu.

Atque tales esse ad vnum omnes, cum nonnulli opinentur, eiusmodi tantum euentibus, tanquam minus naturalibus, locum relinquentes, qui quidem *singulares* admodum sint, quorumque caussa ex cognitis hucusque naturae viribus legibusque neutiquam nobis quidem pateat *a*); alii contra quaedam in mundi mutationibus extra ordinem a vi infinita plane effecta occurrere vel debere, *b*) vel certe posse, contendunt; hocque sensu *miraculorum* vel possibilitatem vel necessitatem constituunt.

At enim vero principiorum limitumque cognitionis nostrae satis conscii, quo modo vel negare aliquid, vel constituere in hac quaestione animum inducamus? Neque vero si exsistant eiusmodi euentus, quomodo ista eorum ratio perspici a nobis possit; quibus virium legumque naturae longe maxima pars plane occulta est?

Ita-

Itaque qui *miraculi* notionem hanc *alteram* postulent et sequantur, qua euentus sit caussae alicuius nutu et auctoritate exsistens, cuius tamen naturales vires excedere omnino videri debeat; in eo certe humani intellectus imbecillitati prospexisse censendi sunt. Et vero etiam finibus, propter quos fieri posse aut facta esse miracula plerumque sumitur, satis consentanea esse notio ista videtur; dummodo res circumstantes reliquae ad eundem finem conspirent. *c*).

Frequentiora autem miracula summi rerum administratoris infinita sapientia exspectare, neutro quidem significatu, facile patitur.

a) V. *Spinozae* rationes expositas confutatasque in cl. HOLLMANNI *Commentatione philosoph. de miraculis*, 1727. §. LII. seqq.

b) V. LEIBNITII *Opp. tom.* II. p. 110.

c) V. LOCKE, *Disc. sur les miracles*, in *Oeuvres diverses*, Amst. 1710. HOLLMANN l. c. s. v. LESS *Wahrheit der christlichen Religion* §. 19. 43.

§. 55.

§. 55.

Hypothesis cauff. occaf.

In omni hac de nexu rerum doctrina ſingulas res vere cauſſas eſſe invicem, communemque hanc rationem etiam corpora inter atque animas obtinere, hucusque ſumſimus. Cui tamen vulgari et maxime naturali perſuaſioni, tamquam erroneae, celeberrimos ex recentioribus philoſophos repugnare, ſupra iam notauimus. Age igitur, videamus, quasnam hi rationes afferant, et quo ipſae fundamento nitantur.

Et *cauſſarum* quidem *occaſionalium* hypotheſin qui ſequuntur, his vtuntur argumentis.

1) Animae naturam cogitatione abſolui; cogitationi autem vim, qua motus efficiatur, non ineſſe;

2) Semper eandem motus eſſe in mundo quantitatem; itaque fieri non poſſe, vt animae imperio motus exſiſtat ceſſetque.

3)

3) Ex iis, quae in ſenſu accidunt, corporis mutationibus idearum iudiciorumque noſtrorum ortum plane intelligi non poſſe; ergo iis etiam, tanquam cauſſis efficientibus, haec tribui non poſſe.

4) Cum ſapientia diuina, cumque animorum dignitate, magis conſentaneam hanc eſſe opinionem, quae a Deo tanquam vnico principio omnem animorum cognitionem repetat; nimiamque videri finitae ſubſtantiae potentiam, qua vera motus cauſſa efficiens cenſeatur eſſe *a*).

At vero haec argumenta vel ipſa non ſunt euicta, vel ad concluſionem non ſufficiunt.

Praeterea haec *ſcholae Carteſianae* ratio his impugnatur argumentis.

1) A philoſophiae ſcopo plane alienam eſſe, ad Dei miniſterium, atque ad miracula vbique recurrendo;

2) Neque vero dignas Deo partes tribuere;

3)

3) Ista autem diuinae originis idearum et intimae animi cum Deo vnionis opinione, fanaticas superstitiones facile nasci posse.

4) Corpora denique hac ratione nulli plane vsui fore. *b*)

Quibus argumentis ea quidem reponi possunt, quae ab inuidia hypothesin C. O. satis liberent.

Probabilitati tamen illius, omnia haec, et vltimum quidem maxime argumentum, obstare confitendnm est.

a) V. MALLEBRANCHE *Recherche de la* V. liv. III. sec. part. ch. 2-6. liv. IV. sec. part. chap. 3. *Eclairciss.* X. XIV. HOLLMANNI. *Pneumatolog.* §. LXXX. seqq.

b) V. BILFINGER *de harmonia praestab.* Sect. IV.

§. 56.

Harmonia praestabilita.

Harmoniae praestabilitae systema his nititur fundamentis;

1) Omnium rerum principia esse monades; quibus vi externa nihil addi de-

demique, aut quidquam eorum, quae corpora videantur pati, accidere possit;

2) Animi vim esse vnicam, eamque repraesentationis, non motus caussam.

3) Non esse eam rationem atque proportionem inter mutationes animorum corporumque, quae inter caussas et effecta sit necesse est.

4) Possibilem non solum, vi diuinae potentiae ac intelligentiae, eiusmodi corporis animaeque, et omnium omnino rerum creatarum, absque mutuo virium conflictu et mutationum influxu, harmoniam; sed praeclarissimum etiam diuinae sapientiae esse documentum.

Verum in his quoque adsertis sumta quaedam sunt, quae in dubium vocare licet, rationibus diuersis locis antea iam a nobis allatis.

Deinde huius systematis haec omnino est ratio, vt singulis et maximi momen-

menti quaestionibus, ex rei contemplatione nascentibus, soluendis nullam sufficientem responsionem suppeditet; sed generalem semper repetat, qua nihil explicatur distinctius; aut nouis se sumtionibus tueatur, non satis stabilitis, aut rei explicandae non sufficientibus. Quaeritur nimirum,

1) *Vnde* ea tam insignis in corporum aeque ac animarum conditionibus, et omnis generis mutationibus, *diuersitas*?

2) *Vnde* is harum omnium in consecutione *ordo*?

3) *Vnde* is potentiae iam, iam impotentiae, in excitandis corporis motibus; spontaneitatis in cogitando, necessitatis in percipiendis corporis mutationibus, *sensus*?

4) *Quonam consilio* et *cui bono* ista omnis harmonia, qua limitari vim animae, retardari eius nisus, obscurari intellectum, turbari infirmarique tranquillitatem et constantiam, inuitam mala

mala plurima perpeti mentem, experimur; nulla alia caussa, quam corporis, cui scilicet respondere debeat animi conditio?

Ad has difficultates soluendas si eas, quas harmonia praestabilita, quasque altera nexus physici ratio admittit, responsiones conferamus; illam vt hac probabiliorem iudicemus, nos quidem a nobis impetrare non possumus *).

*) Doctissimam atque acutissimam huius systematis expositionem vide in b. BILFINGERI libro cit. Sect. V. et VI. cf. ipse LEIBNITIVS in *responsione* ad STAHLIVM, Opp. tom. II. part. II. pag. 131. seqq.

§. 57.

Quibus omnibus rite pensitatis; haec colligi posse videntur. Consectaria pro influxu physico.

1) Vnamquamque harum rationum suis premi *difficultatibus*, minimis tamen *systema I. Ph.*

2) Easque minoris multo fieri, si neque nimis diuersa *monadis corporeae*

P at-

atque *animae cogitantis* natura concipiatur, neque etiam animo in corporis, corporique in animi operationibus determinandis nimium tribuatur *).

3) Vtrum anima corpusque *caussae* inuicem *immediate* sint, *experientia* quidem non omnino euidens esse; caussas tamen inuicem esse, pro generali caussae conceptu, concedendum esse; et vero etiam in tribus systematibus concedi posse.

4) *Libertati* animorum non magis inimicam esse I. Ph. rationem, quam cetera systemata plene exposita; et haec tamen etiam contra obiectiones morales sufficienter defendi posse. **)

*) V. BONNET *Essai analyt.* chap. V. Ch. M. BVRCHARDI *Meditatt. de anima humana.* 1726. cap. I. Contra HALLERI *Elementa physiolog.* Lib. IX. Sect. III. Negata animi incorporea natura, influxum physicum tueri conatur auctor libri *Essai d'un systeme nouveau concernant la nature des êtres spirituels, fondé en partie sur les principes de Locke.* Neufch. 1744. 4 tomes, 8.

**) Quomodo ad consensum aliquem reduci tria haec systemata possint, docet

WOLF

WOLF *Metaphys. germ.* part. II. §. 276. seqq.

SECTIO II.

De legibus naturae generalissimis.

§. 58.

Quatenam naturae leges hic intelligendae sint.

Mundi vniuersi rationes scrutantibus hoc in primis etiam propositum esse debet, vt leges exquirant, quibus rerum natura vbique contineatur regaturque; quibus et corpora pareant et mentes. Quarum legum notitia, etiam vbi ad certitudinem res deducta nondum est, insigni in explorandis rerum caussis atque rationibus, de quibus experientia nondum constat, vsui esse potest *). (*Log.* §. 71. 90.) Varia nimirum et constanti, quamuis non completa, *inductione* quod patuit, non solum ad coniecturam similis rationis in singulari re, sed ad opinionem etiam *necessitatis* alicuius, seu *legis naturae,*

recte adhiberi nonnunquam poteſt (*Log.* §. 36.); et maxime quidem ſi reliquae etiam naturae leges conſentiant. Et hoc quidem probationis genus in hac tractatione potiſſimum ſequemur; ſiquidem a generaliſſimis iudiciorum noſtrorum principiis, nulla adhuc rerum obſeruatione ſuffultis, non multum ſperari poſſit. Eas autem probationes, quae a diuinis perfectioniſius peti poſſunt, ſedulo hic praeterimus.

Non iam vero, legum naturae generaliſſimarum nomine, axiomata iſta, ſiue logica ſiue ontologica, intelligimus, quibus *adfectiones entium generaliſſimas* volunt contineri; veluti, omne ens eſſe *vnum*, *verum*, *bonum*. Neque iis iam immorabimur ratiocinandi principiis, in Logica ſatis iam expoſitis, quorum alterum *contradictionis* dicitur, alterum *rationis ſufficientis*. Quamquam leges quidem, quales quaerimus, iis contineri non negemus. Sed nolumus actum agere.

*)

*) Cf. LEIBNITZ Opp. tom. II. part. II. p. 134. et omnino REIMARVS *natuerl. Religion,* Abh. IV. §. 18.

§. 59.

Lex continui.

Celeberrima iam est *continui* s. *continuitatis lex*; quam LEIBNITIVS, vir summus, et de inuentis suis, si quisquam alius, parum glorians, suam dixit *a*). Quam hac formula, *natura non facit saltum*, efferri, at triplici sensu adduci, constat. Ea enim enuntiatione innuitur,

1) *Numquam omitti* in naturali rerum ordine, *quod ad fines obtinendos necessarium* sit; neque, quod in humanis consiliis satis frequens est, ad finem contendi, cum media nondum omnia rite praeparata atque instructa sint. Quod adsertum dubitationi locum plane non relinquit, si fines ex effectibus ipsis omnino colligendos esse, simul ponatur. Verum vbi vel ex eo, quod optimum sit, vel alias in eiusmodi rebus finis rationem obtinuit, quidnam finis loco habendum iam sit, constitua-

tur; probatio non aeque facilis est. Contrarium tamen sicubi nobis obtinere videatur; nostro id vitio fieri posse, dum fines, qui naturae propositi non erant, supponamus, recte monetur *b*).

2) *Non ullam rerum speciem* s. formam *in natura desiderari*; rerum naturalium descriptione ita ab ordine vno ad nouum ordinem veniri, vt medius inter vtrumque locus vacuus relictus nullus, saltuque opus nullibi sit. Ad probabilem opinionem nouis indies obseruationibus magis magisque adduci hoc adsertum, doctissimi naturae speculatores confitentur. Quod autem a confusa necessariae in mundo continuitatis notione, ad trium, quae dicuntur, *regnorum naturae* differentiam negandam, argumentum petitur, nullius momenti est. *c*)

3) Et in motu et in cogitatione, atque in omni mutationum naturalium genere, non solum *opposito statui alterum immediate non succedere*, neque non intercedentibus caussis sequi quidquam, quod

quod vtrumque facile conceditur; verum inter duas, quas distinguimus, mutationes *infinitum* etiam aliarum numerum intercedere, nonnulli volunt, dum continuitatis lege se tuentur. *d*)

a) V. LEIBNITZ *Theodic.* §. 348. *Nouv. Essai* pag. 266. 440. Adde Opp. tom. II. part. I. p. 238. Comp. REIMARVS *von den Trieben der Thiere*, §. 104. edit. 2. p. 194. et *Nat. Religion*, Abh. IV. §. 18. edit. 3. pag. 286.

b) V. contraria sentientem BVFFONIVM *Naturgeschichte der vierfuess. Thiere*, Tom. II. 8. pag. 46.

c) Cf. LOCKE B. III. ch. VI. §. 12. BONNET *Betrachtung ueber die Natur* part. II. Cap. X. seqq. et part. III. ROBINET *de la nature*, tom. IV. lib. I. *La philosophie de la nature* (Amst. 1770.) tom. II.

d) cf. WOLFII *Metaphysic.* §. 686-692. MENDELSSOHN, *Phaedon*, edit. pr. pag. 142. KAESTNER *Hoehere Mechanic* pag. 550. seqq. CRVSII *Physica* §. 46. PLOUCQUET *Principia de substantiis et phaenomenis* §. 315-321.

§. 60.

Legem *parsimoniae* s. *minimi* dum dicunt, hoc sibi volunt philosophi; in- Lex parsimoniae s. minimi.

 re-

rerum natura omnia ita disposita esse, vt nihil frustra fieri aut esse, nihil, quod vsui esse possit, negligi, paucis adminiculis quam plurimas et maximas res, breuissima via et minimo virium dispendio, cuncta obtineri, statuendum sit. *a*) Praesidia autem huic dogmati petuntur.

1) Ex coeli contemplatione; vbi loca atque vires ita distributae, et directiones motus ita constitutae videantur esse, vti opus erat, si minima impensa plurimum fuerit obtinendum. *b*)

2) Ex rerum quarundam, elementorum in primis in terra nostra, vario et mirabili vsu.

3) Ex vniuersa regni vegetabilis atque animalis oeconomia. *c*)

Omnia ad consensum huius legis phaenomena etiamsi a nobis reduci non possint; contrarium tamen, nescio, an euictum vlla alicubi experientia dici possit. Cogitandum modo est, *plures* naturae propositos esse posse fines,

quam

quam qui nobis adpareant. *d*) Quaeque pro contrario adducuntur, aliqua facili opera refutari possunt; quale est tritum illud, ab innumera florum, vnde fructus non exsistunt, multitudine petitum argumentum.

a) Controuersiam de inuentore huius dogmatis aliquando natam exponit d'ARGENS, *Hist. de l'Esprit humain*, tom. IV. pag. 349. seqq. Comp. LEIBNITZ Opp. tom. II. part. II. p. 135. et *Vollstaendige Streitschriften zwischen H. v. Maupertuis und Koenig*, Leipz. 1753.

b) V. MAUPERTVIS *Essay de Cosmologie, Preface.* LAMBERT *Cosmologische Briefe*, Br. 8. f. f.

c) Vtrum ex *motus legibus* etiam vbique pateat, et generale earum principium haberi possit; inquirit cl. TETENS in *Commentatione de principio minimi*, Buzow. 1769. 4.

d) Comp. BUFFON *Naturhist. der vierfuess. Thiere*, tom. II. pag. 46. et HALLERI *Elementa physiolog.* lib. XI. Sect. II. §. 35. et al. locis. REIMARVS *Nat. Relig.* Abh. IV. §. 12. Not. 20. WOLF *Metaphys. germ.* §. 918. f. CRVSII Physic. §. 47. PLOUCQUET l. c. §. 322-27.

 §. 61.

§. 61.

Lex conseruationis.

Semper *eandem* in mundo *virium*, substantiarumque simplicium et primitiuarum *quantitatem conseruari*, ex prioribus iam legibus, continuitatis et parsimoniae, philosophis consequens esse videtur. Neque enim, si nihil frustra faciat natura vnquam, nec, quod vsui esse possit, negligat, fieri posse, vt quidquam virium plane pereat. Magis vero adhuc repugnare hoc continuitatis legi; quandoquidem ab esse ad non esse per mediam conditionem progressus concipi nullus possit. *a*)

Atque hanc conclusionem experientia sic confirmat, vt in paruis quidem rebus continuae ex interitu consequentis nouae generationis, formarumque conseruationis innumera specimina, *annihilationis* nullum nobis offerat; in maioribus mundi corporibus autem miram naturae constantiam tutelamque probet.

Eandem quoque semper *motus* quantitatem in mundo obtinere *Cartesio* visum

sum est. *b*) Neque fere, nisi in determinanda mensura, repugnat *Leibnitius. c*) Cui placito experientia neutiquam aperte repugnat, neque vero valde suffragatur.

a) V. MENDELSSOHN l. c.

b) V. CARTESII *Principia philosoph.* part. II. §. XXXVI.

c) V. BILFINGER *de Harmonia praest.* Sect. III. §. 32. seqq.

§. 62.

Maximam esse in mundo rerum *varietatem*, eamque, vt neque duas cuiuslibet generis res, in quibus non vel nostris sensibus vlla differentia obseruari possit, reperire vsquam licuerit; experientia satis constat. Neque vero huius singularum rerum diuersitatis, ex rerum circumstantium et praecedentium diuersitate, aliquam reperire rationem difficile est. Lex varietatis.

Acutius vero in haec inquirentes, necessariam esse aliquod omnium in vniuersum rerum internum discrimen, plane

ne perſpicere ſibi viſi ſunt. Et nonnulli quidem eo iam hoc confirmari putant, quod duo, quorum nullum omnino internum eſſet diſcrimen, ne duo quidem forent. *a*) Alii propterea quod, perfecta hac ſimilitudine, neque infinitae mentis intelligentia res diſtingui poſſent, negandam eam eſſe ſtatuere. *b*) Plurimi ex principio rationis ſufficientis conſequens hoc eſſe exiſtimant; ſiquidem, *et* pro eo, qui inter omnes mundi partes intercedit, nexu, vel duarum rerum diuerſis locis aut temporibus perfecta ſimilitudo, niſi in perfecta cauſſarum, adeoque rerum omnium, identitate, locum habere non poſſet; *et* res plane easdem diuerſis locis temporibusque diſtribuendi nulla ſapienti rerum conditori cauſſa eſſe potuiſſet. *c*)

Quibus tamen cunctis rationibus ſupra eam probabilitatem, quam ipſa adfert experientia, cauſſa haec adduci vix poteſt. Varietatis huius quae dici poſſet lex, *principium indiſcernibi-*

lium

liam dicere mos est; multumque celebritatis suae *Leibnitzio* debet. *d*)

a) LEIBNITZ, *kleine Schriften*, Ien. 1740. pag. 153. 203. 207. *Opp.* tom. II. part. I. pag. 128. seqq. BAUMGARTEN *Metaphys.* part. I. cap. III. Sect. I. PLOUCQUET *de subst. et phaen.* §. 306.

b) cf. PLOUCQUET l. c. §. 305. 307. *Hamburg. Unterhaltungen* 1768.

c) V. LEIBNITZ ll. cc. WOLF *Metaphys. germ.* §. 586. seqq. coll. part. II. §. 207.

d) cf. CICERO *acad. quaest.* IV. 17. 18. 26. MALLEBRANCHE liv. III. part. II. ch. X. HOLLMANN *Metaphys.* §. 242. BASEDOW *Philalethie*, part. II. p. 362. MICHAELIS in *Syntagm. Comment.* part. II. Quo magis de hac varietatis lege certi esse possumus; eo minus mira videri potest, quae nimia imprudentibus facile videtur, omnium rerum *inconstantia* atque immutatio; *motus*que late patens imperium, quo mutationes efficiuntur, latius adhuc, quam experientia demonstret, in mundo patere, hac etiam re probabile fit. V. LAMBERTS *Cosmol. Briefe*, Br. XI.

§. 63.

In mirabili hac rerum varietate multiplicem tamen iterum conuenientiam

Lex vnitatis in varietate.

tiam et *unitatem*, quam ſequi natura videtur, reperimus. Nempe

1) Primo in *legibus*, *cauſſis* et *principiis*, quibus, generum numero, admodum paucis oriuntur et procedunt res innumerae, quantumuis diuerſae. *)

2) In *generalibus* porro *formis*, quae, in iſta rerum ſingularium varietate et perpetua mutatione, eaedem permanent atque conſtant.

3) Denique in *finibus*, ad quos ſingula tendunt, actionis nimirum, vitae ſenſusque procreationem et conſeruationem.

*) Magna quidem in his quoque naturae eſt varietas, ſi cauſſas *medias* ſpectes; ſed de *primis* vltimisue principiis iam ſermo eſt.

§. 64.

Aliarum quarundam legum veſtigia.

Multa adhuc paſſim obſeruantur, quae generalium huiusmodi naturae legum rationem continere videantur. Quae licet non aeque, ac iſta priora, explicita atque confirmata ſint, partim

tim etiam alia aliorum consectaria existimari queant; attentionem tamen, et hic quoque aliquem locum, mereri nobis visa sunt. Huius igitur generis sunt, quae sequuntur;

1) *Extremorum*, s. maxime distantium, eadem esse consectaria aut adiuncta. *a*)

2) *Contrariis* viribus motibusue in natura omnia fieri. *b*)

3) Ad *mediam* aliquam rationem, aequabilitatem, aequilibrium, naturam tendere.

a) V. LEIBNITZII Opp. tom. II. part. I. pag. 239. 241. CHANGEUX *Traité des Extremes*, 1767. 2 voll. 8.

b) V. ARISTOTELES *Physic.* l. cap. 5; vbi commune antiquissimis philosophis hoc esse placitum, ipse quoque addit. Ratio clare exposita etiam alio loco, ὅτι τὸ ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ὁμοίου ἀπαθές; *Problemat.* Sect. VIII. Et quomodo in artibus haec naturae lex obseruetur, ostenditur *de mundo* cap. V.

Se-

SECTIO III.

De mundi perfectione.

§. 65.

Mundi perfectio in quo ponenda?

Bonum quando aliquid dicitur et *perfectum*, vario id respectu fieri, alias iam a nobis obseruatum est. (*Log.* §. 44.) Cum tamen omnis is respectus ad commoda, oblectationem, vno verbo, beatitatem alicuius entis, tandem redeat; mundi etiam perfectio ab eo, quod ad beatitatem confert, pendeat necesse est. Iam si entis a mundo omnino diuersi, veluti auctoris eius, beatitatem finem perfectionis mundi constituere velimus; primum non satis digna eiusmodi ente, deinde nulli nobis vsui, neque intellectus nostri rationibus accommodata haec cogitatio fuerit. *) Quare de mundi perfectione cogitantibus hoc plerumque propositum est, et vero esse debet, vt quae-

nam

nam eius ratio ſit ad beatitatem earum naturarum, quae ad mundum ipſae quoque pertinent, diſpiciatur, Hoc igitur reſpectu ea mundi conſtitutio perfectiſſima erit dicenda, qua plurimum, quod omnino poſſit, beatitatis, mediis vbique accommodatiſſimis, obtineatur.

*) Neque in *mundo*, neque in eius *auctore* finem vltimum quaerendum eſſe, ſed in *relatione* quadam, quae inter hunc illumque intercedat, ſunt, qui probare contendant; v. WOLFII *Metaph.* §. 1045. SCHUBERT *Metaphyſ.* p. 582. ſeqq. Sed corruit omnis haec probatio, de *relatione*, deque *fine* notionibus diſtincte explicitis.

§. 66.

Ex quo facile conſequens eſt, Conſectaria.

1) Eas ipſas leges, quas naturam ſequi in praecedenti ſectione oſtenſum eſt, cum finibus mundi optimi ita conuenire, vt ex his ipſis *a priori*, quod aiunt, illae demonſtrari poſſent; exceptionibus tamen in quibusdam loco aliquo relicto.

2) De mundi perfectione ex partis alicuius contemplatione non ſatis accurate tutoque iudicium ferri poſſe; ſiquidem, quae parti conueniant, non ſemper toti conuenire, nemini facile dubium eſſe poſſit.

§. 67.

Quaenam in mundo neceſſaria ſint malorum genera aut naturalia?

Quod multo adhuc fiet clarius, ſi, quaenam ſit diuerſorum mali generum ad ea, quae in mundo vniuerſo, aut in partibus quibusdam eius, neceſſaria aut ſaltem naturalia ſunt, ratio, diligentius inquiratur. Nempe

1) *Malum*, quod dicunt, *metaphyſicum*, quo nomine vlterioris realitatis, hoc eſt, virium aliquem defectum intelligunt, ab entibus finitis, qualia mundum conſtituunt, ſeparari non poteſt. At vero neque *per ſe* aut *abſolute* malum hoc eſt.

2) Quamquam vero *malum phyſicum*, id eſt dolorem, et oblectationis ſeu beatitatis priuationem, quae per

per ſe malum conſtituunt, cum iſto malo metaphyſico pari ratione vbique procedere, dici non poſſit; attamen ex hoc facile illud oriri poſſe, patet; quando nimirum *aut* ſalua beatitate ſua ferre non poſſit quaedam natura, quas aliae res exſerunt, vires; *aut* vires, quae denegatae ipſi fuere, concupiſcat; *aut* ea moliatur perpetretque imprudens, vnde mala in ipſam non poſſunt non redundare.

3) *Malum* etiam *morale*, mali phyſici vberrimum fontem, in natura variis limitibus circumſcripta facile naſci; mentis humanae imbecillitas quemlibet ſatis ſuperque edocet.

4) Quomodo vero duo iſta mali phyſici et moralis genera in mundo vniuerſo impediri planeque euerti potuerint; maxime ſi inſignis iſta *rerum varietas*, quae mundo perfectiſſimo adeo videtur conuenire, *leges*que *generales*, ſine quibus neque prudentia, neque ſapientia, neque omnino virtus futura fuiſſet, locum obtinere debebant: nemo

mo profecto declarare planumque reddere poteſt.

5) In hoc vero adſerto ſubſiſtendum; neque hoc nobis ſatis conuenire videtur, vt iſta mala omnia neceſſaria fuiſſe, ex mundi rerumque finitarum rationibus generaliſſimis deducere conemur. *a*)

6) Iſtud vero *Robineti* paradoxon, quo plane aequalem boni malique omnis generis rationem, et in mundo vniuerſo, et in qualibet natura finita eſſe ſumitur, omnino reiiciendum eſt; nullo quippe ſolido fundamento ſuperſtructum, atque experientiae et communi ſenſui aperte repugnans. *b*)

a) V. tamen cl. SVLZER, *Verm. philoſoph. Schriften* p. 323. ff. Comp: BILFINGER *in tract. de Origine et permiſſione mali*, Tubing. 1743. 8.

b) *De la Nature*, tom. I. prem. part. chap. XXIII.

§. 68.

Vtrum mundus perfectiſſimus debeat eſſe infinitus?

Quamquam ſingulis, quae in mundo ſunt, rebus, limites neceſſarii ſint; ipſe

tamen mundus, et *extensionis*, et *durationis limitibus* omnino carere posse, quin debere, si perfectissimus, qui quidem possit, ille sit, videri potest.

At enim vero obstant, quominus hanc rationem teneamus, quae ex sumto partium, quae in re quapiam actu sint aut fuerint, numero stricto sensu infinito exsistunt consequentiae, (*Log.* §. 47); quas conciliare aut resoluere nobis quidem hactenus nondum licuit.

Annon vero intellectus humani indoles omnino in caussa sit, cur difficultatibus in hac quaestione ab vtraque fere parte exstantibus satis nosmet liberare nequeamus, dubitari forsitan recte potest. *)

*) V. LEIBNITZ, *Theodic.* II. §. 195. seqq. nec non eiusd. *Lettres à Mr. Bourguet.* Opp. tom. II. pag. 332. seqq. MENDELSSOHN *Philosoph. Schrift.* tom. I. Gespraech III. CRVSIVS *Metaphys.* §. 386.

§. 69.

Num mundus debeat esse optimus, si E. I. opus sit?

Mundum, cum Dei opus sit, omni vitio carere debere, inter *Thaletis* apophthegmata numeratur. Et videtur haec conclusio ita plana atque euidens; vt mirum non sit, qui, euicta ante entis cuiusdam necessarii, eiusque rerum omnium caussae supremae, infinita perfectione, mundum, omnium, qui fieri potuissent, factum esse optimum, a priori deducerent, plurimorum suffragia tulisse *a*). Illi profecto frustra sunt; qui experientia, ac mundi rationibus ipsis, refellere hanc adsertionem conarentur. *b*) At vero, num mundus aliquis omnino possit dici optimus, dubium a quibusdam redditum est; quod nimirum limites, sine quibus non possit mundus concipi, vbicunque ponantur, vlterius recedere et noua perfectionis incrementa admittere possint. *c*) Quae licet interrogatio ad ea pertineat, in quibus haerere nos ancipites, iam iam fassi sumus; attamen ad rationem istam, cui aduersatur, plane euertendam sufficiens nobis

bis neutiquam videtur. Quae enim vbique locum habitura nobis, adeo haec obiter considerantibus, incrementa videri possunt, fortasse nulla sunt; obstantibus summis quibusdam, quas ignoramus, eorum, quae fieri possunt, rationibus.

a) cf. LEIBNITZ in *Theodicea* Opp. tom. I.

b) V. LVCRETIVS *de rerum natura* lib. V. v. 195. seqq.

c) V. CRVSIVS l. c.

§. 70.

Ex dictis facile elucet, plures quidem *physice possibiles*, at vnum modo *moraliter possibilem* mundum nonnullis videri; aliis et physice et moraliter quamplurimos possibiles. Et infinitum quidem licet dicere mundorum possibilium numerum; si qualibet seu naturarum, seu ordinis mutatione alium futurum fuisse mundum, contendere velis. Plures etiam, ac a nobis possint numerari, mundos esse, eo sensu, quo orbis aliquis coelestis mundus dicitur, facile concedi potest. *a*)

Num plures vno mundi possibiles?

Quibus initiis ad eam quoque disputationem progredi licet, qua, quid in vnoquoque mundo fieri possit aut necesse sit, definiatur; quam aliis relinquimus. *b*)

a) V. FONTENELLE, *Entretiens sur la pluralité des mondes*. Oeuv. tom. I.

b) Cf. CRVSII *Metaphysica*, Cosmolog. cap. I.

§. 71.

Bona, quae inesse mundo experientia testatur.

Ad ea igitur, quae *experientia duce* de mundo cognosci possunt, animum aduertentes diligentius, magnam et omnem mentis nostrae conceptum facile superantem mundi esse perfectionem, negare non possumus. Probat quippe hoc

1) Mundi magnitudo, corporumque coelestium numerus;

2) Naturarum vita praeditarum multitudo; *b*)

3) Tot vitae et beatitatis principia, adminicula et praesidia, vbique *c*) et

4)

4) In homine maxime conſpicua. *d*)

a) V. LAMBERTS *Coſmologiſche Briefe* Br. X. et al. PLATTNERS *philoſoph. Aphorismen* §. 946. ſeqq.

b) V. REIMARVS *Natuerl. Relig.* Abh. III. §. 10. ſeqq. Abh. V. §. 5.

c) V. REIMARVS ll. cc. PLATTNER l. c. §. 950. ſeqq.

d) Conferri merentur etiam, et ad huius et ad praecedentis propoſitionis illuſtrationem, quae notat cl. BASEDOW, *Philalethie* part. I. §. 199 - 207.

§. 72.

De malis, quae mundo inſunt

Multa quidem ineſſe mundo malorum genera, certum eſt. Verum

1) Plus ineſſe boni, quam mali, haud dubie cenſendum eſt. Varia id ratione, licet non plane euidens, admodum tamen probabile reddi poteſt. Et erroris etiam, qui contrarium ſuſtinet, cauſſae in aprico ſunt. *a*)

2) Mala quae dicuntur, vario reſpectu ipſa bona quoque ſunt; iam illi ipſi, qui patitur, iam aliis. Monſtro-

rum quoque varius vſus negari non poteſt. *b*)

3) Varia etiam remedia ac praeſidia contra malum vbique parata adſunt. Quorſum, praeter innumera alia, et hoc pertinet, quod in qualibet orbis terrarum regione aliquod vel plantarum, vel animalium genus reperiatur, quo incommodis, ex coeli terraeque rationibus ibi oriundis, occurrere, vitamque ſuſtentare vel ſolo hoc praeſidio homines poſſint.

4) Nullum in mundo reperire licet malum, quod ſine maiori incommodo et detrimento auerti potuiſſe, probabili ratione contendi queat.

Ex quibus omnibus conſequens omnino videtur eſſe hoc, vt nemo ſapiens mundi vniuerſi rationem reprehendere aut damnare ſuſtineat.

a) cf. BASEDOWII §. 32. 33. 47.

b) V. BASEDOW §. 208.

CA-

CAPVT IV.
Theologia naturalis.

SECTIO I.
De exsistentia Dei.

§. 73.

Omnibus iam rite instructis, ad nobilissimam grauissimamque metaphysices et omnis philosophiae partem progredimur, doctrinam de *Deo*. In qua, sicuti etiam in antecedentibus vbique operam dedimus, ita versabimur, vt pro rationum, quas afferre possumus, pondere iudicium temperantes, certa et dubia, magisque et minus probabilia haud confundamus; memores in primis, non quae quacunque ratione vera possint constitui, sed quae intellectus nostri leges et principia Instituti ratio.

pia naturalia sequentibus illucescant, a nobis exponenda hoc loco esse. *)

*) Quae strictim notaturi sumus, in S.V. IERVSALEMII et b. REIMARI libris auro cedroque dignis vberrime ac doctissime illustrari confirmarique, nemo, qui haec legat, facile potest ignorare.

§. 74.

Conceptus primus de Deo.

Dei autem nomine intelligimus omnium, quae mundum constituunt, rerum, mundique adeo ipsius, caussam supremam eamque intelligentem. Qua notione non solum errori *Atheistico*, sed *Pantheismo* etiam atque *Polytheismo*, dummodo haec ipsa nomina iustis limitibus definiantur, satis obviam iri, et sufficientia religionis naturalis fundamenta strui posse, persuasum nobis habemus.

§. 75.

Eius existentiae argumentum palmarium.

Qualem mundi caussam exsistere, sanae rationi adeo nulla opera illucet; vt mirum non sit, inter axiomata, quorum

rum immediate patet veritas, a nonnullis hoc numerari. *a)* Quodsi enim cum ratione cogitantibus sanctissima haec et suprema aliqua lex est, vt omnium, quae contigisse aut aliter esse posse constat, caussam, eorum autem, in quibus ordo manifestus est et partium consensus, caussam intelligentem cogitemus: quo quaeso piaculo committi possit, vt hanc mundi compagem, hunc in rebus maximis minimisque ordinem constantem, tot animalium genera, quibus terrarum scatet orbis, quorumque nullum est, quod non humanam artem omnem longe superet, et sapientissimum quemque in admirationem maxime rapiat; hoc vero hominum genus, quod ob suam ipsius perfectionem et mirabilem naturam obstupescere necesse est; has denique innumerabiles omnium rerum vires, multis modis sibi contrarias, et apte tamen vsque consistentes consentientesque, sine auctore aliquo ac moderatore esse, censeamus? *b)*

a)

a) V. *Appeal to Common Sense, in Behalf of Religion.* Edinb. 1768. Deutsch. Leipz. 1774.

b) V. *Socraticum hoc argumentum* in XENOPHONTIS *Memorab.* I. 4. IV. 3. et CICERONIS *de nat. Deorum* II. 6. 7. 34. 35.

§. 76.

Obiectio prima.

Videndum tamen est, quid huic rationi possit opponi. Et primum quidem hoc aliquis obuerteret; cum illa iuste cogitandi praecepta, quae hic in censum veniant, experientia vnice nitantur; in iis quidem recte adhiberi, quorum experientiam aliquam habeamus; ad rerum autem principia et mundi primordia extendi non posse. *) Verum neque prius illud adeo euictum est; siquidem, licet ipsos rerum *conceptus* experientia acquiramus, leges tamen, quibus iudicia nostra temperentur, ipsa intellectus nostri natura constitutae possunt esse. Et vero vndecunque sit illa iudicandi norma; sufficit, eam nos missam facere non posse, nisi naturae nostrae aperte vim inferre, stulti-

titiamque ac prudentiam eodem loco habere velimus.

*) V. HUME's *Enquiry concerning hum. Underſtanding*, Sect. IV. XI.

§. 77.

Alii vnamquamque quidem rem ſui generis cauſſam requirere confitentur; at vero nullo generationis initio, nulla cauſſa prima opus eſſe; ſed inde *ab aeterno infinitam* rerum, quibus mundus continetur, conſecutionem ſumi poſſe. Obiectio altera.

Sed vt de contrariis, quae numero vere infinito ineſſe plane videntur, poſitionibus taceamus; haec ratio hoc loco propterea omnino reiicienda eſt, quod rerum aliunde pendentium quantacunque multitudo cauſſae loco haberi non poſſit; ſed cauſſa debeat aliqua ſumi vltima, ſufficiens, adeoque ab omni iſto, cuius cauſſa quaeritur, genere diuerſa. (*Log.* §. 86.) *Hiſtoriae* naturalis aut alius cuiuscunque documentis mundi aeternitatem neutiquam

quam adparere, ſed contrarium, ſi quidquam inde concludendum ſit, probabilius fieri, concedendum eſt; quamquam ab hac diſputatione, multis difficultatibus implicata, dogma noſtrum adeo planum atque euidens disiungere, fortaſſe ſatius ſit. *)

*) V. doctiſſimam de hoc argumento commentationem b. REIMARI l. c. *Abhandl.* I.

§. 78.

Obiect. tertia. Denique id contendunt diuinitatis aduerſarii, iique, ſi quidquam in iſta cauſſa acuminis eſſe poteſt, acutiſſimi, omnium, quaecunque in mundo ſunt et fiunt, cauſſam *ipſum mundum* haberi poſſe, *naturamque rerum daedalam.*

At vero hos, vel quod praecipiunt, ipſos non ſatis intelligere; vel principium petere, cui ſe maxime opponit ſana ratio; quaecunque ad tuendam iſtam opinionem proferunt, diſtincte perpendentibus facile adparet. Etenim

1) Si hoc sibi volunt, homines et animalia cetera, vna cum plantis, rebusque, quarum admiramur formas, ipsarum quae mundo insint, virium, vt ignis, aëris, aut aliorum huiusmodi principiorum beneficio, e luto, putredine, aut simili modo aliquando, siue vna, siue diuersis temporum interuallis, exstitisse; hi quidem, quod ab omnium cognitionis nostrae principiorum analogia plane alienum est, sumunt. Namque ab *animalculis*, quae dicunt, *infusoriis*, quae ne satis quidem euictum est sponte nasci, *) ad homines, et alia veri nominis animalia, nullam patere consequentiam, in aprico est. Deinde etiam si daretur, id, quod nullo iure suo postulant; hoc certe non impetraturi sunt, vt in his caussis naturalibus subsistamus, tanquam omnium vltimis. Quin primitiui huius virium simplicium systematis auctorem agnoscere Deum eo magis necesse est, quo illustriora sunt, quae his fieri placet, opera.

2) Hoc ipsum vero virium primitiuarum systema sponte coiuisse vult *Epicurus*; natis forte ex declinatione atomorum vorticibus, quibus mox orbes coelestes formarentur. Quae indigna, ne dicam physico, sed omnino homine sanae mentis, oratio est; et ne ab eo quidem viro, qui, sol maiorne sit quam videatur, dubitare potuit, facile exspectanda. At inter infinitos, inquiunt, coniungendorum principiorum modos, eum tamen etiam, ex quo mundus exstiterit, fuisse; eumque ipsum, post infinitos frustraneos conatus, tandem aliquando casu euenire potuisse. Verum, nulla moderante caussa intelligente, tale quidpiam euenire posse vnquam, negare nos atque pernegare sana ratio iubet. (§. 75.)

3) Itaque non multo firmior ea opinio stat, quae, reiecto casu, ex aeternis rerum principiis necessaria consecutione *coecoque fato* mundum exstitisse, contendit. Hoc enim rationis humanae legibus obtemperans persua-

suaderi sibi nemo patietur vnquam, *aut absoluta* et *interna* necessitate mundum hunc exsistere, cuius nulla, quam nouimus, pars caussis externis non regatur; *aut* ab alia, quam a sapientissima caussa, proficisci potuisse, in quo omnia adeo plena sunt rationis ac intelligentiae.

4) Qui *naturam* denique proponunt omnium rerum effectricem, *si* vim intelligant a rebus singulis, quae mundum constituunt, diuersam; hi quidem a vero forsitan parum absunt, dummodo *mentem* eam naturam esse intelligant. Quodsi vero mundum ipsum, cuius caussa quaeritur et auctor, naturae nomine intelligunt; verbis ludunt, sibique ipsis et aliis fucum faciunt.

*) V. *Nouv. Recherches sur les Etres microscopiques*, 1769. et REIMARVS Abh. II. §. 3. seqq.

§. 79.

Reliqua, quibus atheismus sese commendare ac tueri studet, non tam no- Reliqua athe- ismi argu- menta.

ſtro argumento, quo Dei exſiſtentiam probatum iuimus, quam ipſi theſi oppoſita, haec fere ſunt.

1) Primos in orbe Deos creauiſſe imbecillae mentis hominum timorem; id deinde figmentum, quippe conſiliis ſuis vtiliſſimum, fouiſſe atque exornaſſe tyrannorum fraudem.

2) Non ſolum carere hac Deorum opinione atque ſuperſtitione humanum genus poſſe; ſed eam grauiſſimorum malorum ſcaturiginem perennem, publicae priuataeque tranquillitati inimicam, omni opera eſſe profligandam.

3) Tot ineſſe mundo malorum genera, totque occurrere coecae fortunae vbique documenta; vt parum verecunde is, quin impie de perfectiſſima natura, qualem Dei eſſe perhibeatur, cogitare cenſendus ſit, qui Deo haec omnia tribuat.

4) Quoscunque ſibi de Deo homines formauerint, conceptus non ſolum in-

inter se pugnare, sed principiis etiam inniti manifesto absonis.

Quae singula impiae temeritatis effata, partim in antecedentibus iam euersa sunt, partim in seqentibus refutabuntur. Quamquam ad futilitatem eorum perspiciendam longa praeparatione haud sit opus.

§. 80.

Reliqua pro exsistentia Dei argumenta iudicantur.

Inconcusso igitur, quod ab initio protulimus, ad euincendam supremi numinis exsistentiam, omnique exceptione maiori argumento tuto acquiescere possumus. Neque vero re ipsa adeo differunt, quae variis nominibus distinguuntur, aliorum argumenta; aut si differant, aeque firmo fundamento innituntur. Namque

1) *Consensus gentium* sufficienti argumento per se non est; quamuis aliquam opinioni auctoritatem eo conciliari, et inueniendarum, quibus solida

 de-

demonstratio conficiatur, rationum initia inde peti posse, non negemus. *a*)

2) *Insitam Dei notitiam* aliquam hominibus esse, proprie dici non potest.

3) Quare neque nouum ac per se consistens illud argumentum est, quod a *dictamine conscientiae* petitum proferunt.

4) *Motus* caussam aliquam a corporum natura diuersam, menti similem, statuendam esse, pars est nostri argumenti; sicuti etiam

5) Illud, quod a *motibus corporum coelestium*, aut a *finibus* in quocunque rerum genere conspicuis, desumitur.

6) Eius vero argumenti, quod a *rerum finitarum contingentia* ad entis alicuius necessarii, eiusdemque infiniti, exsistentiam procedit, sicuti illius, quo ex ipso *conceptu* E. I. existentia deducenda sumitur, initia ac rationem supra exposuimus. (cap. I. Sect. II.) *b*)

a)

a) V. A. BRENNAE S. I. *Opus metaphysicum, crit. et historicum, de generis humani consensu in agnoscenda diuinitate.* Florent. 1773. 2 voll. 4.

b) V. HOLLMANNI *Pneumatolog.* § CXXV-CXXXIV. SCHVBERTI *Metaphysic.* pag. 505-524.

SECTIO II.

De attributis diuinis.

§. 81.

Vtrum vna sit suprema mundi caussa?

Vnam esse mundi caussam, vnum summum numen, Dei nomine vere dignum, non aeque esse in aprico positum, ac prouidam eam atque intelligentem caussam esse, plures iam acuti et sinceri philosophi confessi sunt *). Quo magis mirum fortasse poterit videri, adeo tamen communem, quae vnam supremam omnium rerum caussam intelligentem statuerit, opinionem fere semper fuisse. Verum eae tamen

afferri possunt rationes, quibus opinionis huius non solum explicentur origines, sed ipsa etiam opposita longe probabilior reddatur. Nempe

1) Sufficiens est simplicior haec, quae vnam caussam supremam proponit, hypothesis;

2) Magis etiam determinata; siquidem plures quando esse admittitur, nullus certus earum numerus definiri ratione vlla potest.

3) Is denique videtur omnino esse mundi partium nexus et consensus, ex quo vnum potius totius operis conditorem atque praesidem, quam plures colligamus. **)

*) Cf. HVGO GROTIVS de J. B. ac P. lib. II. cap. XX. §. 47. EBERHARD *Neue Apologie des Socrates*, edit. 2. pag. 203 seqq.

**) Qui *duo* animo concepere rerum omnium *principia intelligentia*, alterum boni, quod mundo insit, alterum mali causam; in explorandis mali caussis naturalibus, mundique vniuersi perfectionibus, parum accurate versatos esse oportet. Ex iisdem ignorantiae atque leuitatis

tis fontibus, in caussis minoribus saepe numero eadem errandi ratio apud barbaras gentes, aut infimae plebis homines, exsistit, malis geniis morbos, et quidquid infortunii accidit, plerumque adscribentes.

§. 82.

Si infinitae perfectionis esse mundi auctorem statuendum sit; noua exsistit ratio, cur vnum eum esse credamus. (§. 20.) Et viciſſim vero etiam si vna sit suprema rerum omnium caussa; nullis eam perfectionis limitibus circumscriptam esse, verisimillimum fit. Plures praeterea, quae hanc sententiam tueantur, rationes supra attulimus. (§. 16.) Nolumus tamen ab his initiis, non omnino planis et apertis, fundamenta cultus diuini vnice deducere; cum iis conclusionibus, ad quas mundi contemplatio nos ducit, sufficientissime stabiliri possint. Vtrum infinitae perfectionis?

§. 83.

Quidni enim, quaecunque aut saluti nobis aut exitio esse possint, *is* effi- Summam esse Dei potentiam, mundus demonstrat.

 cere

cere poſſit, cui omnes naturae vires ſubſunt? Aut quibusnam limitibus exiſtimemus circumſcriptam eius eſſe *potentiam*: cuius vi nullo intellectus noſtri conceptu dimetienda mundi vniuerſitas continetur atque exſiſtit? Summam itaque, mentisque noſtrae captum longe ſuperantem, diuinam hanc vim atque potentiam dicere conuenit.

§. 84.

Nec non bonitatem ſapientiam ac intelligentiam.

Eodem vero etiam fundamento ſummam, omnem rationis noſtrae modulum longe ſuperantem, *bonitatem* atque *ſapientiam* Deo tribuere fas eſt; eam certe, a qua optima quaeuis, quae cum mundi vniuerſi ſalute conſentiunt, ſperare queamus. Innumerabilis enim eſt, et, ſi non ſtrictiſſimo, certe graui aliquo ſenſu, infinita eorum multitudo, quae diuino beneficio vita fruuntur. Malorum autem, quae mixta bonis ſunt, ea eſt vel ad beatitatem, vel omnino ad naturam rerum finitarum ratio, vt non debeant obſtare, quo minus aut vitam beneficii loco habendam,

aut

aut ſummam eſſe Dei bonitatem ac be- neuolentiam cenſeamus. (§. 67. 72.)

Illa autem, quae vitae inſunt, bona, in quolibet animalium genere, ita vide- mus eſſe praeparata, ſarta atque tecta; omnem porro mundi rationem, quous- que pertingit humana intelligentia, eam eſſe, eumque omnium naturae le- gum cum praeſtantiſſimis finibus con- ſenſum; vt, licet diuinae ſapientiae conſilia ſaepius male concipiamus, et in finibus aeque ac in adminiculis di- ſcernendis ſubinde fallamur; ſummam tamen eſſe, qua rerum vniuerſitas con- dita ſit, *ſapientiam*, probabili ratione in dubium vocari nequit. *)

Qualem vero quantamque oportet eſſe eam *ſcientiam* ac *intelligentiam*, qua omnia, quae ſunt, quaeue eſſe eorum loco et contingere potuiſſent, Deus ita ſibi repraeſentat, vt infinitam virium con- trariarum multitudinem ad conſenſum perfectiſſimum redigere, omnium dein vſibus ac neceſſitatibus proſpicere, omniaque regere et tueri poſſit!

*)

*) Quem hypothetice supra (§. 65.) constituimus, mundo optimo eiusque auctori perfectissimo conuenientem, *finem vltimum* ipsa etiam mundi contemplatione elucescere; dubium censere neutiquam possumus. V. REIMARVS Abhandl. IV et V.

§. 85.

Qualis quantaque sit nostra de diuina natura cognitio?

Multum sane est, magnique momenti, et ad intensissimos pietatis atque reuerentiae sensus in animis nostris excitandos sufficiens, quod his philosophiae de proprietatibus naturae diuinae praeceptis continetur. Parum tamen esse, si ad obiectum ipsum referatur, idemque multis tenebris obscuratum, confiteri oportet. Quod vt magis patefiat, sequentia notasse e re erit.

1) Totius cognitionis nostrae ea est origo eaque omnis ratio, vt neutiquam intimam atque absolutam rerum naturam, siue omnes, quibus res quaelibet ad aliam quamcunque sese habere possit, aut actu habeat, modos, *relationes*

tiones breuius dicimus, perſpiciamus; ſed paucis quibusdam, quibus erga noſtram ipſorum, qua ſumus praediti, naturam ſeſe, vel immediate, vel mediantibus aliis, exſerunt atque manifeſtant, modis contineatur.

2) Eiusdem ergo indolis, quae ab his ipſis initiis ducitur, noſtram de Deo cognitionem eſſe; hoc eſt, *reſpectuum* potius, quam intimae eſſentiae notitia conſiſtere, facile eſt ad intelligendum.

3) Accedit vero hoc, quod magis etiam, ac aliarum rerum, quarum non niſi *analogici* h. e. a ſimilitudine quadam ducti conceptus nobis inſunt, a principiis cognitionis noſtrae diſtent, et vero ob manifeſtam differentiam ſedulo diſtinguendi ſint, de diuina natura conceptus; quos itaque parum adaequatos et valde incompletos eſſe, cumque reliquis humanae cognitionis partibus varias mutationes ſubire neceſſe eſt.

4)

4) Itaque, quamuis eos, qui ad veritatis characteres proxime accedunt, cumque rationis nostrae legibus maxime consentiunt, de Deo conceptus omni studio tueri debeamus: tenendum tamen etiam hoc est, multas praeterea esse posse diuinae naturae proprietates, multosque ad res alias respectus, quorum nullam hactenus notitiam obtinuimus; neque adeo mirum videri debere, si non omnia, quae de Deo mundoque cogitantibus in mentem veniunt, in apricum deducere, et difficultatibus omnibus expedire valemus.

Se-

SECTIO III.

De modo, quo Deus mundum condidisse eique providere censendus sit.

§. 86.

Mundi origines concipiendi variae hypotheses.

Haec animo voluentes riteque perpendentes non multum lucis exspectabimus in iis theologiae naturalis partibus, vbi respectuum, quos Deum inter et mundum intercedere euictum est, *rationes physicas, modumque* vlterius explicare, *modum*, inquam, *creationis* atque *prouidentiae*, student. Videndum tamen est, ad quae eorum, qui operam in his collocant, studia contendant, quibusque rationibus vtantur. Et primo quidem diuersos mundi origines concipiendi modos proponere oportet; quos, in re quippe obscurissima, accurate distinguere, haud quaquam facile negotium est.

Deum

Deum itaque mundi auctorem agnoscentes

1) *Aliqui* rerum tamen *principia* atque *semina*, *vires simplices* et *primitiuas*, eas certe, quae *materiae* insint, partibus nulla adhuc certa ac constanti forma iunctis, semper exstitisse, opinantur; et *nonnulli* quidem ita, vt infinitae mentis vi nunquam non subiecta fuisse rerum haec principia putent; *alii* autem ita, vt a Deo optimo maximo plane seiunctam, quam ornandam sibi in mundo condendo sumeret, materiam fuisse statuant.

2) Alii *in Deo ipso* ante mundum conditum rerum principia ab aeterno exstitisse, *vel* vt veri nominis *substantias*, s. entia completa, *vel* tanquam nescio quas, potioris cuiusdam indolis *ideas* tradunt; quae *emanationis* dicitur hypothesis, et illa quidem *crassior*, haec *subtilior*.

3) Denique, cum nihil praeter Deum, mentem purissimam, et, corpo-

poreae naturae quod simile sit, nihil in se continentem, existeret; nulla alia caussa, neque efficiente, neque materiali intercedente, mundum a Deo conditum fuisse, plurimorum iam opinio est; quod strictiori vocis significatu *creationis*, aut *creationis e nihilo* dogma vocant. In qua liberum adhuc quidem est, siue vno actu mundum omni suo ornatu a Deo constitutum; siue vires rerum simpliciores modo procreatas, legesque constitutas, quibus earum effectus definirentur atque iungerentur; exque his deinde primordiis reliqua *naturae ordine* processisse, velis opinari.

Has quidem opiniones aut partibus suis nonnunquam misceri, aut etiam non aeque, ac prima specie viderentur, si penitius rimatus fueris, aliquando diuersas deprehendi; concedimus vltroque monemus.

*) Huc contendere nobis videntur placita anonymi auctoris recentioris de hoc argumento libelli: *System der Wesen, enthaltend die Metaphysischen Principien der Natur.* 1769. 12.

§. 87.

Quae creationi ex nihilo opponantur?

Vltimae vero harum ſententiarum, quae *creationem ex nihilo* defendendam ſibi ſumit, haec ſolent opponi;

1) Ex nihilo nulla vi poſſe fieri quidquam;

2) Non ſumendum eſſe, etiamſi repugnantia manifeſto in ſe quidem non contineat, quod experientiae omnique ſolidae cognitionis fundamento plane contrarium eſt;

3) Sententiam hanc difficultates in diſquiſitionibus de animorum libertate, et de mali origine ac permiſſione, valde augere; porro cum aeterna atque immutabili Dei eſſentia non poſſe conciliari. *)

Quae non plane nullius, non tamen eius nobis eſſe videntur momenti, quo ad ſententiam aliquam veram conſtituendam, contrariamque reiiciendam opus eſt.

*)

*) Haec maxime vrget PREMONTVAL in commentat: *La Theologie de l'Etre*, in tomo II. Collect. cui titulus: *Vues philosophiques*, Amst. 1757. 8.

§. 88.

Alteri autem opinioni, quae aeternam suaque vi extra Deum exstitisse materiam, quam ad mundum constituendum formis instrueret summus omnium rerum opifex, probabilius putet, haec maxime vitio vertuntur; Quae materiae aeternae?

1) Quod rem, cuius conceptu adeo nulla existendi necessitas contineatur, aeternam absque caussa adfuisse, temere sumat;

2) Quod materiam sine forma, adeoque sine omnimoda, quam dicunt, determinatione quidquam existere posse, admittat;

3) Quod in Deum ipsum iniuria fit multis modis; aliquid statuendo, quod ab ipsius vi non profectum sit, quod itaque etiam in aliam formam redigendi nullum ipsi ius, ac ne perno-

ſcendi quidem certa ratio fuerit; atque etiam potentiae ipſius limites ponendo; quin alterius cuiusdam Dei, vel potius Deorum infinite multorum, cum aeternum aliud, praeter Deum ſummum, atque independens, adeoque etiam infinitum ponat, ſuperſtitionem introducendo.

Haec, a permultis docte diſputata, neutiquam tamen omnia adeo recte ſe habere, aut firmo fundamento ſtare, contendi poteſt. Grauiſſimas tamen, quibus aeternae materiae fautores implicentur, difficultates monitis hisce contineri, ingenue confitemur.

Sicque ſententiarum, quae maxime diſtent, rationibus expoſitis; quid de mediis iudicandum ſit, nulla iam noſtra opera, facile eſt ad intelligendum.

§. 89.

De eſſentiarum principio.

Huic diſputationi neceſſario fere immiſcentur duae quaeſtiones; quarum altera

altera ſpectat ad *eſſentiarum* fundamentum ſ. principium. Quod aliqui in diuina voluntate, alii in intellectu diuino, alii denique, cum eſſentia alicuius rei, omnium quae peti poſſint, rationum ſumma ipſa atque vltima ſit, nullum plane vlterius quaerendum eſſe, autumant. Haec vbi paullo curatius expoſita fuerint; primo quidem plurimum logomachiae huic controuerſiae ineſſe poſſe, adparet; *vel* cauſſis, quibus res ipſae, ab iis, quibus noſtra de rebus iudicia exiſtunt, *vel* diuerſis de *eſſentiis* rerum conceptibus, quorum alter ad *abſolutam* ſpectat *neceſſitatem*, alter ad *hypotheticam*, (*Log.* §. 39.) non rite diſtinctis. Tum vero rem ipſam, de qua quaeritur, ad ea pertinere, quorum rationem penitus perſpicere nobis non conceſſum, et in quibus et negantibus et adfirmantibus ab errore valde metuendum ſit; ex praecedentibus facile conſequens eſſe putamus. *)

) Comp. HOLLMANNI *Metaphyſ.* §. 26-29.

§. 90.

Num mundus vi diuina aeternus possit esse?

Altera quaestio haec est: annon mundus, diuina quidem vi, inde ab aeterno exsistere possit? Ad quam quaestionem varia quidem, quae speciem aliquam habeant, vtrimque adferri solent; quorum fundamenta alias a nobis exposita sunt. (*Log.* §. 47. 86.) Cunctis vero istis iterum iterumque expensis; aliis iudicandi libertate relicta, nos quidem nobismet a temeritatis atque arrogantiae vitio non omnino immunes videremur, si de mundi aetate certo aliquid definire auderemus; quamuis ad eam, quae mundum nunquam non fuisse neget, sententiam propensiores. *)

*) Cf. ROBINET *de la Nature*, tom. III. WOLFII *Metaphys.* §. 1075. part. II. §. 420. SCHVBERT *Metaphys.* p. 521. seqq. REIMARVS, *Abh.* III. §. 8.

§. 91.

Prouidentiae diuinae notio et fundamenta.

Prouidentiam Dei in mundo qui agnoscunt, hoc sibi volunt; non absoluta *fati coeci* necessitate, neque *casu*, neque vero etiam

etiam *hominum prudentia*, tanquam causſa vnica aut vltima, ſed diuino conſilio, omnia admirabili hoc ordine conſiſtere atque procedere; atque ipſi etiam accepta referenda eſſe, quae ſalutaria nobis eueniant. Quas prouidentiae diuinae in mundo partes nemo, niſi qui de ipſa Dei exiſtentia, eiusque attributis eodem fundamento ſtabilitis, dubitet, in dubium vocare poteſt. Neque enim admirabilis rerum ordinis *duratio* atque *conſtantia* minus, ac illius initium, Deum nos auctorem agnoſcere iubet; neque is mundi huius opifex cupiam videri poterit, qui coeco quodam impetu illum conderet, nullo conſilio, nulla proſpicientia, nulla lege, nullis certis finibus, ſibi caſuiue relinquendum.

Et quemadmodum ratio, quae eſſe Deum probet, in partes diſpeſci, varioque modo proponi poteſt; ita etiam prouidentiae diuinae iisdem principiis *argumenta plurima* deduci poſſunt; iam ad coelum, iam ad terram, ad genus

 huma-

humanum eiusque propagationem, *a*) adque reliqua animalium rerumque creatarum genera vniuersim, animum aduertendo.

Cum quibus si conferantur, quae vel a *permissione mali moralis*, vel a *mutationibus quibusdam*, quae, aut in coelo, aut in terra, temporis successu contigisse videantur, aut vere contigerint, petuntur *dubia*; nullius plane haec momenti esse, certissime nobis persuasum habemus. *b*)

a) V. b. SVSSMILCH, *Göttliche Ordnung in den Veränderungen des menschlichen Geschlechts.*

b) REIMARVS Abh. VIII. IX. IERVSALEM Betr. IV.

§. 92.

Num singulas res complectatur?

Quam Dei prouidentiam *singulas res* amplecti, vti statuamus; cum intimi illius rerum omnium, maximarum minimarumque, nexus ratio, (§. 47.) tum intellectus atque voluntatis diuinae, quam summam merito credimus

mus esse, perfectio, postulare nobis omnino videtur. Neque sic refragabitur prouidentiae diuinae experientiae testimonium; modo, quae summae sapientiae ratio est, singulis rebus *ita* prospicere Deum opinemur, vt et *perpetuae* singulorum viuentium saluti, et *uniuersi* mundi perfectionibus optime semper consulatur. Ad calculos vero, quae mundo insint, singularum rerum multitudinem reuocantes, iam in limine obstupescere, immensamque diuinae prouidentiae vim, nulla intellectus nostri modulo iuste concipiendam, agnoscere oportet.

§. 93.

Modum vero atque rationem prouidentiae diuinae penitius intelligere, aut curatius definire, cupientes haec maxime quaerunt; De modo prouidentiae diuinae quaestiones.

1) Vtrum ad *existentiae continuationem* res creatae eadem plane vis diuinae efficacia, qua existentiam nactae

 fue-

fuerint, adeoque *continua* quasi *creatione* egeant fruanturque?

2) Num prima rerum constitutione, vnoque *creationis actu omnia* a Deo O. M. ita *dispofita* atque praeparata fuerint, vt cuncta deinde naturali ordine procedere debeant; nihilque porro summo numini addendum mutandumue, aut omnino agendum relinquatur, etiamsi infinita eius vi omnia subsisterent atque niterentur; an vero continuo, aut pluribus certe vicibus, ordinis euentuumque singularium immediata Deus caussa sit?

3) Quonam Deus modo ad ea, quae *in animis hominum* geruntur, singulos motus et propensiones, virtutemque concurrat, haecque diriget, impediat, excitet, promoueatque?

Quibus omnibus in medio relictis; vero tamen, cui salutaris de prouidentia diuina persuasio innititur, fundamento nihil decedit. Rationes autem, quibus

bus alterutrum oppofitorum, de quibus lis eft, certo conftitui poffit, a philofophia fuppeditatas effe, dubitamus.

SECTIO IV.

De expectatione atque fine hominis, fecundum praecepta theologiae naturalis.

---

§. 94.

Quas hactenus ftabiliuimus, de fummo numine eiusque prouidentia fententiae, accedentibus quibusdam naturae legibus, animique proprietatibus, fpem omnino faciunt, fore, vt non hac folum vita fines naturae humanae contineantur; fed altera nos maneat, nec vnquam ceffet animorum duratio. Quae quo magis patefiant, ordine exponamus.

Alterius vitae argumenta ab attributis diuinis petita.

Primo itaque loco, quae *de Deo* cognita habemus, rite expendentibus

1) Summa Dei *potentia* sufficienti argumento est, ipsum alteri nos vitae seruare facile *posse*.

2) Velle vero eundem, *bonitas* ipsius seu *beneuolentia* spem facit; quandoquidem summis mundi rationibus in vniuersum hoc contrarium esse, existimandi nulla caussa adest.

3) Porro *sapientiae* summi numinis haudquaquam videtur consentaneum esse, huius tantummodo vitae gratia, iis animos hominum instructos esse viribus, quibus nemo non, si vita superesset, multo longius profecto contenderet; maxime cum plurimi mortalium aut ad eam aetatem non perueniant, aut non eo loco constituti sint, vt vel vllus virium earum vsus esse possit.

4) Neque vero magis cum *iustitia* diuina conciliari posse, ea tantum recte maleque factorum esse consectaria, quae in vita hac contingunt; terrestrem potius proborum malorumque hominum con-

conditionem certiſſimum eſſe alterius vitae documentum, plurimi maximopere contendunt. Et omnem huic argumento vim denegare, qui res humanas animo ſatis attento ſcrutatus fuerit, ipſique de diuina iuſtitia praecepto fidem habeat, neminem poſſe credimus. At caute in eius expoſitione verſandum eſt; valdeque cauendum, ne aut proborum in hac vita felicitatem vniuerſim nimis deprimamus, malorumque ſortem nimis praedicemus; aut in diſcernendis ſingulorum hominum virtutibus vitiisque noſtro iudicio nimis confidamus.

5) Denique *maieſtate* diuina indignum, neque ſtatuendum hoc videtur, vt homo Dei ſe imperio, quando lubet, ſubducere poſſit; quod, ſi nulla poſt hanc vitam altera futura ſit, morte voluntaria vtique liceret. *)

*) KAESTNERS *Erläuterung eines Beweisgrundes für die Unſterblichkeit der menſchlichen Seele*, Goett. 1767.

§ 95.

§. 95.

Ab animi humani attributis.

Cum his perquam consentiunt, spemque, quam ex diuinarum perfectionum consideratione concipere licuit, confirmant quaedam animi humani adfectiones. Nimirum

1) Diuersa adeo est animi corporumque natura, vt iis certe caussis, quae corpori mortem parant, anima interire non possit.

2) Desideria ac conatus animorum nostrorum huius vitae limitibus neutiquam contineri sese patiuntur.

3) Naturales, quibus voluntas nostra regitur, impetus, quorum vno ad nosmet ipsos, altero ad alios etiam amandos ferimur, plane ad consensum adduci, nisi alterius vitae spes sit, non possunt. *)

*) V. cl. MENDELSSOHNII *Phaedon*.

§. 96.

A generalibus quibusdam naturae legibus.

Denique eodem etiam conspirant naturae quaedam leges generales, nec

non

non quaedam eorum, quae saepissime contingunt, analogia. Nullum nempe eius, quo solo anima interire posset, interitus, *an nihilationem* dicunt, in natura vestigium; ad virium vitaeque conseruationem ac perfectionem omnia adeo videntur esse comparata; quae morte videbantur sepulta, noua eaque speciosiori forma prodeunt permulta animalium genera; nouae ex seminis interitu fruges; somni vero, a quo ad sensum reuertimur et quasi vitam, cui non cum morte similitudo animo natura informatur?

§. 97.

Cunctis fere argumentis hisce quaedam opponi posse, non est diffitendum; quibus tamen isthaec neutiquam euertuntur. Ipsi autem rei haec potissimum obstare videntur; Obiectiones.

1) Quod is *animae corporisque nexus* sit; vt, pereunte hoc, illam in vita superstitem esse, eiusque memoriam ac intelligentiam, a corporis conditione

ne adeo pendentem, conſeruari, nulla ratione credibile ſit.

2) Quod iisdem argumentis, quibus hominibus animorum immortalitas aſſeritur, brutorum etiam animis concedenda foret.

Verum neque haec tanti ſunt, vt ſpem noſtram inanem iudicare oporteat. Et vltima quidem haec ratio neque ex principiis ſatis conſequens eſt, neque, quod metuendum foret, continet. Iſti autem priori dubitationi cum ipſa accuratior phaenomenorum exploratio quaedam haud leuidenſia opponit; tum ea etiam valde vero ſimili opinione occurri poteſt, *corporis aliquam partem*, in qua memoriae organa contineantur, intimius fortiusque animo iunctam, atque in externorum organorum interitu ſaluam intactamque manere.

§. 98.

Concluſionis curatior definitio.

Quibus omnibus rite euolutis ponderatisque,

1)

1) Neutiquam ad certitudinem, neque ad eum quidem probabilitatis gradum, qui in aliis caussis, euentuum plane consimilium experientia, locum obtinet, rem hanc adduci posse, fatemur.

2) Neque vnumquodque istorum argumentorum vnicuique homini aeternitatis spem facere videri potest.

3) Rerum praeteritarum memoriam, quam ad plenam iustamque vitae nunquam interiturae notionem aliqui requirunt, ad fines alterius vitae obtinendos non omnino quidem necessariam, at valde consentaneam, probabilemque iudicamus.

§. 99.

Quaenam in altera post mortem vita conditio nostra futura sit, sciscitantibus, varia quidem, leuissimam quamque veritatis vmbram sequens, atque ad desideria nostra se accomodans, imaginatio facile affert. At pauca sunt, quae

De vitae alterius conditione.

quae concessa etiam eius, quod arcem caussae constituit, veritate, certa aut satis probabili ratione definiri queant.

1) Multa futura esse, quorum nulla nobis adhuc idea inest; vix cuipiam dubium videri poterit.

2) Multa vero etiam ex huius vitae rationibus in altera futura esse consequentia; neque omnis huius ipsius caussae, neque generalia veri principia dubitare nos sinunt.

3) Quare diuersam valde proborum malorumque hominum conditionem fore, necessario statuendum est.

4) Aeternum vero duraturas esse male factorum poenas, siue *naturales*, siue *ex arbitrio constitutas*; nulla certa ratione euinci posse nobis videtur.

§. 100.

Quaenam horum vis in doctrina morali?

Neque vero poenarum aeternarum metu, neque summa horum omnium certitudine, opus esse, virtutis mali-

tiae-

tiaeque in huius vitae euentibus ſortem, commoda et incommoda, *debita attentione expendentibus* videri poteſt; vt integrae virtutis partes, tanquam optimam vitae rationem, amplectendi ſufficiens cauſſa adſit. Si Deus ſit atque altera vita; tantum eſt, quod in periculum conſtituit vitiis ac ſceleribus impie deditus; vt, minima quantumuis antecedentis probabilitate, qui poſteriorem hanc rationem ſequitur, inſipere videri debeat. Quanto magis adparet, eum, qui de vtraque hac veritate nullus dubitet, non poſſe non ſummum hunc conſiliorum finem ſibi conſtituere, *vt recte faciendo Deo ſe ſibique ipſi conſtanter probet.*

SECTIO V.

De theologia supra humanam rationem posita s. reuelata, hypotheses philosophicae.

§. 101.

Reuelatio quid?

Theologiae, quam *reuelatam*, aut supra humanam rationem positam, dicere possis, variae videntur mente concipi posse species;

1) Prima quidem ea, qua et *res*, quas suapte vi ratio humana *nunquam* attigisset, patefierent, et *modus* etiam, quo haec cognitio traderetur, supra naturae vires positus, miraculique instar habendus sit.

2) Altera haec, qua ad cognitionem humanam quaedam, alias non exspectanda, diuina prouidentia accedant, quae quomodocunque occurrant, caussis vel ignoratis, vel naturalium speciem prae

prae se ferentibus, assensum tamen atque obsequium mentis nostrae obtinere possint.

3) Verum id quoque genus reuelationis cogitari potest, cuius adminiculo, quae *certis hominibus*, *certo tempore*, naturali idearum consecutione nondum apparerent, quamquam aliis alio tempore ita adparitura, diuinitus patefierent.

4) Denique ad reuelationis rationem valde accederet hoc etiam; si, quorum cognitio quidem aliqua hominibus natura contingeret, *auctoritas* autem atque *certitudo* his principiis ad animos flectendos sufficiens non accederet, modo, qui fidem magis faciat, magisque efficacem notitiam eam reddat, Deus veritatem declaret.

§. 102.

Sicut in generali miraculorum notione, ita in his etiam de reuelatione con- **Possibilitas ac requisita primaria.**

conceptibus, nihil continetur, quod aut diuinis, quae cognita habemus, attributis, aut aliis cognitionis nostrae principiis repugnet. Omnis autem, quae a Deo profecta videri debeat, hominum institutio necesse est

1) Nihil, quod iis, quae certo constituit ratio, adeoque necessariis in cogitando legibus, quibus omnis veritas innititur, contrarium sit, contineat;

2) Ac ne iis quidem contraria, quorum non potest non maior nobis videri, quam ipsorum, quibus illa se tuetur, argumentorum fides et auctoritas;

3) Generi humano salutaris; ac in primis ad sapientiam animique constantiam ac probitatem euehendam tuendamque apta sit.

4) Omni simul generi humano tradi, haud necesse est.

§. 103.

§. 103.

Vſus et auctoritas.

Eam eſſe naturalis noſtrae de Deo, mundo noſtraque ipſorum conditione, cognitionis indolem, vt vberioris alicuius aut firmioris inſtitutionis haud exiguis futurus vſus facile videri nobis poſſit; nulli dubitamus. Quod ſi enim vel nulla alia hominibus opus ſit cognitione, quam quae naturali ratione inueniri poſſit; attamen et ad erudiendos conuincendosque eos, quibus ad verum indagandum firmoque aſſenſu tenendum proprii ingenii vires non ſufficiunt; et ad eorum leuitatem continendam, qui vnamquamque, quae ipſis videatur, veri ſpeciem eodem loco habentes, omnia miſcent ac perturbant; maxime vero ad prauos animi motus refraenandos vtiliter adhiberi poſſet diuinorum praeceptorum auctoritas.

Atque ſi hanc eſſe religioſae cuiusdam doctrinae ad ſalutem hominum rationem, ſatis conſtet; ſufficienti hoc

conceptibus, nihil continetur, quod aut diuinis, quae cognita habemus, attributis, aut aliis cognitionis nostrae principiis repugnet. Omnis autem, quae a Deo profecta videri debeat, hominum institutio necesse est.

1) Nihil, quod iis, quae certo constituit ratio, adeoque necessariis in cogitando legibus, quibus omnis veritas innititur, contrarium sit, contineat;

2) Ac ne iis quidem contraria, quorum non potest non maior nobis videri, quam ipsorum, quibus illa se tuetur, argumentorum fides et auctoritas;

3) Generi humano salutaris; ac in primis ad sapientiam animique constantiam ac probitatem euehendam tuendamque apta sit.

4) Omni simul generi humano tradi, haud necesse est.

§. 103.

§. 103.

Eam esse naturalis nostrae de Deo, mundo nostraque ipsorum conditione, cognitionis indolem, vt vberioris alicuius aut firmioris institutionis haud exiguis futurus vsus facile videri, nobis possit; nulli dubitamus. Quod si enim vel nulla alia hominibus opus sit cognitione, quam quae naturali ratione inueniri possit; attamen et ad erudiendos conuincendosque eos, quibus ad verum indagandum firmoque assensu tenendum proprii ingenii vires non sufficiunt; et ad eorum leuitatem continendam, qui vnamquamque, quae ipsis videatur, veri speciem eodem loco habentes, omnia miscent ac perturbant; maxime vero ad prauos animi motus refraenandos vtiliter adhiberi posset diuinorum praeceptorum auctoritas. Vsus et auctoritas.

Atque si hanc esse religiosae cuiusdam doctrinae ad salutem hominum rationem, satis constet; sufficienti hoc

hoc ipsum iam fuerit argumento, diuino beneficio hominibus eam contigisse. Neque si qua humana imbecillitate accesserint minus probabilia; impedimento hoc poterit esse, quo minus, quae recta atque salutaria sunt, in vsus nostros aliorumque hominum prono obsequio conuertamus.

Deli-

DELINEATIO HISTORIAE METAPHYSICES.

I Generalis.

§. 1.

Quandoquidem a ſenſu initium ducit humana cognitio rebusque ſingularibus; ad ea, quibus in principio genus humanum occuparetur, disquiſitiones et decreta de rebus metaphyſicis, et vel ipſos harum rerum conceptus, numerare neutiquam licet. Notionum metaphyſicarum origo.

Ad *inuiſibilium* quidem *cauſſarum* aliquam ideam coniecturamque, pluribus modis, ſeu ratione ſeu imaginatione, et ipſo etiam ſenſu interno, mature homines peruenire poſſunt.

Verum non ita a corporea natura plane diuersam, vti ratione nos quidem edocti assuefactique sumus, *spirituum* naturam statim homines concepisse; et veteris philosophiae documentis satis constat, et eorum, quae quotidie experiri in rudioribus hominibus licet, analogia potest concludi.

Neque tamen nullum, vel inter Graecos veterum philosophorum satis castigatam nostraeque similem de *simplici natura* notionem habuisse, contendi posse videtur. *)

*) V. CICERO *acad.* II. 39. ARISTOTELES *de anima* l. 3.

§. 2.

Prima disquisitionis metaphysicae argumenta.

Non de *spiritibus* solum, sed de *interiori* rerum quarumcunque *indole*, deque *mundi* vniuersi nexu ac rationibus, disquisitiones satis periculosas in *schola Eleatica* fuisse institutas, praeeuntibus etiam in quibusdam *scholae Pythagoricae* principibus; si temporum horum historiae confidere licet, certum est.

Et

Et vero illa iam aetate adparet, quantopere in intellectus etiam studiis ad extrema proni sint homines; aliis ad sensum caussasque *mechanicas*, quaecunque occurrunt, reuocantibus; aliis sensui nihil omnino concedentibus, caussisque metaphysicis omnia tribuentibus.

Plato, Pythagoricis *numeris* *ideas* substituens, plurima ad rationes mephysicas subducere conatus est; illis quidem partibus, quibus nimis deprimitur sensuum auctoritas, admodum fauens.

§. 3.

Peculiarem eorum, quibus metaphysica continetur, scientiam condere ARISTOTELES primus instituit. Eorum enim, quae sensuum ope innotescerent, neque eam esse constantiam atque certitudinem, neque eum cum intima rerum natura consensum, ac in iis quidem requiri possit, quibus *veri scientia* absoluta quaedam aut perfectior constitua-

Aristoteles auctor metaphysicae scientiae.

tuatur, quod plures iam ante ipsum philosophi monuere, omnino perspiciens; in ipsa, quae *vere sint*, (οντως οντα) nec solum adpareant, neque sensibus adeo comprehendi possint, parti cuidam philosophiae inquirendum esse statuit. Et eam quidem partem *philosophiae*, ac *scientiae* nomine praecipue dignam esse; eorumque, quae in *physicis* et *dialecticis* disciplinis, aliisque philosophiae partibus sensuum auctoritate sumerentur, rationes vlterius explicando, *principia* adeo philosophiae omnis continere, *primamque philosophiam* dici posse. *)

*) V. ARISTOT. *Metaphys.* lib. IV. cap. III. HOLLMANN *Prolegom. Metaphys.* §. III-XXIX.

§. 4.

Successu inter veteres non valde conspicuo.

Neque tamen his suis conatibus id obtinuit *Aristoteles*, vt statim haec noua philosophiae pars, cum reliquis, quae distinctae hactenus fuere, in scholis philosophorum numeraretur. Non solum

lum enim *Metaphysicae* aut *Metaphysicorum* nomen in aliorum veterum philosophorum non magis, ac in ipsius *Stagiritae*, scriptis reperitur; sed ipsa distinctio huius primae philosophiae a plurimis plane neglecta fuit; aliis, quae hodienum multorum ratio est, quas *Aristoteles* illi attribuit, disquisitiones in parte logica et physica persequentibus; aliis omnino parum iis immorantibus.

§. 5.

Medio autem *Scholasticorum* aeuo ex hac obscuritate educta, atque in illud fastigium constituta est Metaphysica, quo ipsi quidem eius conditori ab initio digna videbatur. *a*) Eo scilicet nomine valde se scholasticis commendare Metaphysica potuit; quod, his de *caussis primis*, *mundoque*, quem dicunt, *intellectuali* aut *inuisibili*, disquisitionibus placitisque, viam non solum parare sibi ad *theologiam*; sed, in eximia harum rerum obscuritate, notiones etiam atque decreta opinionibus suis ali- (Maximo inter Scholasticos.)

alibi sancitis facillime accommodare poterant. Neque enim ea erat sapientum huius aeui conditio; vt vel Aristotelis mentem et consilia in libris Metaphysicis, prae reliquis etiam intellectu difficilibus, rite indagare; vel suo ingenio cognitionis humanae veram indolem, initia finesque satis perspicere possent; iis quippe, quibus ingenium neutiquam deerat, litterarum luce, aut disquirendi etiam libertate denegata. *b*)

a) Cf. HOLLMANN l. c. §. III. not. (a)

b) Cf. *ib.* §. XXX. seqq.

§. 6.

Dubia fortuna Metaphysicae apud primos philosophiae reformatores.

Quo magis culpa ea, quae in scholastica philosophandi ratione perspecta est, quo tempore bonarum litterarum vsus, cum maiori aliqua sentiendi libertate, restitui coepit, laborare metaphysica videbatur; eo maiori etiam istam plurimi, et aliqui ipsum quoque Aristotelem odio prosequebantur. *a*) Et nonnullis quidem disciplina haec ex philosophiae finibus omnino proscribenda

da visa est. Alii prima quidem aliqua philosophia opus esse; at longe alia, quam quae metaphysices nomine habita hucusque fuit, iudicarunt. *b*) Nonnulli nouam, at priori fere peiorem, metaphysicam condere ausi sunt. *c*) Paucissimi philosophae reformatorum, inter quos eminet *Hobbesius*, *d*) metaphysicae noua ratione excolendae operam studiumque serio addixere. In qua rerum harum conditione non est adeo mirum, scholasticam metaphysicorum disciplinam apud multos summo adhuc honore semper habitam esse *e*); aliis eam in vniuersum damnantibus. *f*)

a) V. HOLLMANN §. XXXVIII.
b) cf. §. XLV. not. d.
c) cf. §. XLI. not. (d).
d) cf. ib. not. f.
e) V. §. XXXVI et XXXIX.
f) v. §. XLII. not. (d).

§. 7.

LEIBNITII tandem WOLFIIque ductu et auspiciis, ad emendandam Metaphy- Recentiorum studia metaphysica.

taphysicam nostrates maxime philoso- phi singulari studio accessere. Et in finibus quidem constituendis scholastica fere ratio seruata est; addita tamen tribus, quae antea fuere, partibus *Cosmologia*. In modo autem singula tractandi magna diuersitas. Methodo enim geometricae aemula, omnia ex principiis luculentis iusta consequentia deducendi spes erat; cui in nonnullis etiam euentus non omnino defuit. Quaedam etiam castigatiori theologiae nostrae magis accommodari; aliqua, pauciora licet, ex fontibus antiquae philosophiae illustrari.

Verum haec etiam LEIBNITII WOLFIIque metaphysica diuersissima iudicia experta est. Multi quidem tandem aliquando illam, quam *Aristoteles* praedicabat, *diuinissimam* scientiam, reliquarum omnium principem ac reginam, adparuisse, persuasum sibi habebant; et re ipsa, in nullo non disciplinarum genere, ex decretis metaphysicis subsidia petendi, multorum ea aetate

mos;

mos; neque minor fere apud istos illustrium horum duumuirorum, quam Aristotelis olim, auctoritas fuit. a)

Neque vero defuere, qui in alia omnia abirent. Aliqui, non illi quidem aequissimi prudentissimique iudices, pessimis erroribus refertum esse nouum hoc metaphysicae systema; alii vana demonstrationum atque certitudinis specie spem nostram frustrari; nonnulli ad rationes scholasticas, aut omnino theologicas, nimis eam accommodatam esse, censuere.

Neque hoc notatu dignum non est, ab eadem eruditorum societate, quae alterum huius metaphysicae principum auctorem habuit et praesidem, alterum sodalem, iis, qui arcem eius infensissimis armis peterent, praemia aliquando fuisse decreta.

Mediam inter has sententiam ab omni partium studio liberi qui tuerentur, et ab initio fuere b), et plurimi

 nunc

nunc sunt; quibus non eximii solum ingenii documentum scriptis metaphysicis exhibuisse viri isti, sed ad emendationem quoque huius scientiae, vel suis decretis, vel aliorum studiis ipsorum exemplo accensis, permultum contulisse videntur; licet non omnium, quae ponerent, vel dignitas ea sit vel certitudo, quae ab initio quidem vel iis ipsis vel admiratoribus eorum videretur.

a) V. BRVCKER in *Supplementis ad Hist. crit. philosoph.* pag. 895.

b) *Multum interim hanc etiam scientiam Viro illustri* (WOLFIO) *debere, supra iam professi sumus, grataque semper nobiscum agnoscet posteritas*: verba sunt illustris *Hollmanni* §. XLV.

II. DELINEATIO HISTORIAE THEOLOGIAE NATVRALIS.

§. I.

Antiquissimae theologiae naturalis facies.

Quamquam eorum, qui *vnum aliquod supremum numen, mundi conditorem, religioso cultu prosequerentur*, populorum rariora antiquissimis temporibus fuerint exempla *a*); vix tamen vllam reperire licet gentem, cui non *qualiscunque supremi* alicuius *numinis* notio animo videatur esse informata *b*). Verum non hoc, a quo quippe nihil mali homini cuipiam metuendum sit; sed potius plures inferiorum ordinum genios, eosque non aeque bonos, precum, sacrificiorum et omnino religionis obiectum constituere satius ipsis visum est. *c*) Et illi quoque ipsi, qui supremam aliquam omnium rerum caus-

sam intelligentem agnoscerent; cultuque dignam iudicarent, non hoc tamen vnico Deo contenti, plures ipsi, seu in condendo seu in regendo mundo, administros sociosque iunxere, cultu religioso non minus dignos.

a) Antiquissimam *Indorum* theologiam puriori huic dogmati praecipue superstructam fuisse; haud spernendis veterum recentiorumque testimoniis colligitur. cf. BRVCKER *Hist. crit. philosoph.* tom. I. lib. II. cap. IV. Ex recentioribus DOW in primis etiam consuli meretur in *commentat. pec.*

b) cf. BRENNAE *Opus de consensu generis humani*, supra citat. BATTEVX *Histoire des causes premieres. Uebers.* 1772.

c) V. praeter alios, IVES, *Reisen nach Indien und Persien*, tom. II. pag. 169.

§. 2.

Initia huius theologiae vtrum omnino naturalia?

Theologiae huius, quantumuis caliginosae erroribusque refertae, initia ex naturalibus intellectus humani iudiciis probabili ratione non posse repeti, sed diuinae potius reuelationi, ma-

magis minusue ab hominibus peruersae, tribuendam eam esse; multorum summae auctoritatis virorum opinio est. Neque enim sua sponte ad sublimes has speculationes pronos esse homines, aut ad eam ingenii culturam, vnde nascerentur, peruenire; neque, si de suprema omnium rerum caussa intelligente, cultu nostro vel in primis vel vnice digna, persuasio naturalibus ingenii viribus plane deberetur, fieri potuisse, vt ad turpissimos errores pessimasque religiones adeo deflecterent homines, iisque per plura annorum millenaria tenerentur. *a*)

Quibus tamen, aliisque, quae solent addi, rationibus nobis non videtur satis hoc euictum esse; tum propter alias multas, quae huic disputationi intercedunt, dubitationes, tum his potissimum caussis. Primo quidem inter barbaras etiam maximeque rudes gentes permagna reperitur ingeniorum diuersitas; *b*) ex qua hoc omnino videtur posse esse consequens,

vt aliqui ad ea, vnde rerum diuinarum notitia oritur, propensiores aptioresque sint. Deinde neutiquam omnium antiqui orbis hominum in doctrina de Deo eam credendum est fuisse ignorantiam aut peruersitatem; quae tum quidem non potest non videri, si aut nulla vulgaris superstitionis; puriorisque, quam sapientiores profitebantur, theologiae fiat distinctio; aut recentioribus antiquitatis interpretibus, rerumque peregrinarum scriptoribus plus iusto fides concedatur; quos, nihil suspicantes fraudisque alentes, turpiter nonnunquam decipi, satis constat. *t*)

Neque tamen his argumentis volumus hoc effici, vt aut numquam contigisse generi humano naturali superiorem theologiam; aut ad emendandas gentium religiones singulari aliqua Dei prouidentia opus nunquam fuisse, recte censeri queat.

a) V. S. V. IERVSALEMII *Betrachtungen über die Religion*, tom. II.

b) V. e. gr. GRANTZ *Historie von Grönland*, tom. I. pag. 254-58.

c) V. ib. p. 253.

§. 3.

Polytheismi aliorumque antiquioris theologiae capitum caussae naturales.

Ad opiniones suas eliciendas tuendasque non rectae rationis solum iudicia, sed imaginationis etiam, a consuetudine aliisque animi propensionibus pendentem, ductum, et hunc quidem ab initio multo magis, homines sequuntur. Ex eodem igitur hoc fonte in religionibus quoque et theologia, cum recta quaedam, tum erronea multo plura emanasse; non est, cur dubitemus. Et *Polytheismi* quidem caussas naturales permultas, qui animum ad hanc rem aduerterent, nunquam non hic inuenere. Verum ad ipsam quoque de vno quodam summo mundi rectore, notionem, et quasdam eius adfectiones vsque consistentes probabilesque animo concipiendas; tum vero etiam ad spem metumue vitae alterius excitandum fouendumque, eas, quae

 rerum

rerum sensus mouentium nimis, quam par est, analogiam sequuntur, cogitationes imaginationisque repraesentationes multum contulisse; et priores etiam iis, quae philosophi afferrent, eorum, quae recte, eorumque, quae falso constituebantur, forsitan fuisse caussas; verisimillimum est.

§. 4.

Graecorum theologumena.

Speciales de theologia *Aegyptiorum, Persarum* aliorumque antiquis temporibus clarissimorum populorum disquisitiones aliis relinquimus, nostris vtpote finibus non satis conuenientes. *a*)

Graecorum autem theologia, attentione nostra dignissima,

1) *Orpheo* initia maxime debuisse perhibetur; cuius insignia in religionem huius aliarumque gentium merita videri possent, si vel eius theologiae, quae in fragmentis nomen ipsius prae se ferentibus occurrit, *sacro-*

crorumque mysticorum, qualia a non nullis depinguntur, auctor hic re vera fuerit. *b*)

2) Ad theologiam hanc, quae *mythica ratione* plerumque tradebatur, *legisque* auctoritate maxime se tuebatur, aliqua scientiae forma induendam *Pythagoras* primus sese accinxisse dicitur; cui, si qua documentorum fides est, vna omnium rerum prima caussa, omnia adhuc permeans, cunctisque rebus prouidens Deus visus est.

3) *Ioniorum* philosophorum primos negligentius de Deo disputasse, caussis mechanicis tantum non omnino immorantes, relatum legimus. Verum *Anaxagoras*, *Socrati* fere coaeuus, quodque nonnulli volunt, etiam praeceptor, omnium, qui ante ipsum fuere, philosophorum primus de Deo, mente purissima, vitae motusque et omnis in mundo ordinis auctore, luculenter plane disseruisse dicitur; ad-

missa tamen staminum, siue principiorum materialium, aeternitate.

4) *Socrates* ei philosophiae, cuius in vita constituenda virtuteque tuenda vsus est, vnice deditus; iis etiam de Deo doctrinis se continuit, quibus virtuti animique constantiae et tranquillitati optime consulitur; sapientissimum esse mundi auctorem, potentemque ac benignum, eorumque, quae committunt homines, in hac atque altera vita remuneratorem vindicemque.

5) Et cum his quidem maximam partem consentanea erant, quae *Plato*, *Aristoteles* et *Stoici* docebant; quamquam diuersis saepe nominibus, aut iis etiam principiis vterentur, eaque sententiae suae adderent, quae, pro nostro quidem colligendi modo, veritati, quam profiterentur, valde derogare aut omnino contraria esse videri queunt. De aliquibus, et de animorum quidem maxime immortalitate,

Peri-

Peripatetici Stoicique dubitantius pronuntiauere.

6) Primi *Eleaticorum*, si non omnino sustulisse, multum certe obscurasse de Deo notionem censendi sunt. *Democritus* autem, quique eum sequebantur, ab *Atheismi* opprobrio vix ac ne vix quidem liberari possunt. In horum numero etiam fuit *Epicurus*; a cuius errore, qui *Stratoni* Peripatetico tribuitur, atheismus parum absuisse videtur.

a) V. MEINERS *Versuch über die Religions-Geschichte der ältesten Völker, besonders der Aegyptier.* 1775.

b) V. IDEM *Ueber die Mysterien der Alten, besonders über die Eleusinischen Geheimnisse. Vermischte Schriften,* tom. III.

§. 5.

Quae singulari Dei prouidentia exstitit, atque prospero successu vbique fere gentium diuulgata est, *Christiana* re-

Theologiae medio aeuo conditio.

religio generatim quidem rerum diuinarum cognitionem insigniter auxit atque emendauit; ipsi vero philosophiae vsui fuisse, primis certe temporibus, censeri vix potest. Inimicam potius sibi, aut certe superfluam ipsam iudicans, non potuit non hominum in philosophiam studia valde deprimere atque retardare. Certe ab eo tempore, accedentibus quidem aliis quoque caussis, rectam philosophandi rationem pessumdatam fuisse, satis constat. Et primum quidem, qui in theologia philosophiae operam adhuc dare videri volebant, ad *Syncretismi* parum consistentes rationes delabebantur; *Eclectici* proinde, iidemque *Neoplatonici* dicti. Quos sublimia multa protulisse, et quaedam acute etiam vidisse, confitendum est; ad omnem tamen superstitionem pronos. *Scholastica* deinde ratio obtinuit; quae ad seueriores quidem disputandi leges constituta, at sententiis aliunde tractis nimis obtemperans, non potuit non argutiis totam fere se dare. Quo minus mirum est, qui liberius philosopha-

sopharentur, ad extremas *scepticismi* atque etiam *atheismi* partes aliquos accessisse.

§. 6.

Litterarum, quae sec. 16 contigit, restitutio theologiae quidem naturali hunc vsum praestitit, vt, depressa aliquantum Aristotelico-Scholastica philosophia, rationes paullo amplius colligerentur, liberiusque subducerentur. Recentioribus seculis.

Et initio quidem parum abfuit, quin nimia nunc *Platonis* exsisteret auctoritas: cui tamen malo alii, qui in philosophia facti sunt, progressus medelam attulere.

Cartesii ductu et auspiciis, quae geometris adeo feliciter successit, in theologia quoque naturali methodus tentata est; et eximia quidem multorum spe, maximoque plausu. Verum ex hac ipsa Cartesianorum schola egres-

egressus *Spinoza* documento fuit, qui hac via accuratissime incedere sibi viderentur, in pessimos et sensui communi plane oppositos errores incidere posse. Felicius et aliquantum tamen etiam moderatius, ac maiori simul eruditionis apparatu cultuque, ad theologicas disquisitiones has leges *Leibnitius* adhibuit, cum aliis innumeris vel discipulis vel aemulis. *a)* Et nonnulli quidem adeo se non continebant, vt fere, quidquid theologiae in templis scholisque docti fuerant, ad philosophiam trahere, suoque more demonstrare vellent.

Quod cum ad compescenda aliorum ingenia adeo non valeret, quin multis, quando spe demonstrationis, quae facta erat, frustratos se videbant, suspicionem excitaret, omni plane solido fundamento philosophorum de deo praecepta destitui: tandem aliqui ratiocinandi finem faciendum, et summa theologiae capita sua luce satis clara, atque extra omnem disceptatio-

tionis aleam ponenda esse, apud animum constituerunt, aliisque persuadere nunc etiam conantur. *b*)

a) SAM. CLARKIVS, et vel ipse IOACH. LANGIVS molitus hoc in *Caussa Dei* est.

b) V. OSWALDI supra cit. librum, *Appeal to common sense.*

ERRATA.

pag. 4. lin. 2 *est* post *nata* del. et post *exculta* ponendum.
ib. §. 3. lin. 2. l. *distingui*.
pag. 9. *methaphys.* bis pro *mettaphys.*
pag. 17. verba vltima §. 14. ita sunt mutanda: *constat, memoria niti et iudicio, aut imaginatione etiam sensuque interno* etc.
pag. 19. l. vlt. *tractione* pro *tractatione*.
pag. 27. §. 20. l. 8. leg. *characteres*.
pag. 60. §. 53. nro. 3. post verba: *Denique vt conclusio*, inserenda haec sunt: *consentanea sit respectui, in quo sunt termini extremi cum termino medio, adeoque etiam sequatur* etc.
pag. 95. l. 16. ita lege: *omnis haec controuersia*.
pag. 98. §. 82. lin. 5. post *rectis* insere *possint*.
pag. 123, §. 102. nro. 2) l. 3. leg. *altiora*.
ib. lin. vlt. leg. *iudicium*.
pag. 151. ita muta: *Neque vero ea ratio aut in genere plana — sumit; aut in singulis* etc.
pag. 169. lin. 14. leg. *intimum*.
ib. lin. vlt. leg. *materiam*.
pag. 177. lin. 13 *non* lege *ne*.
pag. 189. §. 41. lin. 7. del. (,) post *personae*.
pag. 210. lin. 4. leg. *qui*.
pag. 228. lin. 10. leg. *perfectionibus*.
pag. 246. lin. 14. leg. *conantur*.
pag. 248. §. 71. lin. 6. leg. *probant*.
pag. 295. lin. 5. leg. *exiguus*.
pag. 299. lin. 8. leg. *metaphysicas*.
pag. 312. lin. 5. pro *quae* pone *quas*.